¹ Cf. Boethius, *Cat.* PL 64: 161D-162A: Aristotelis uero neque ullius alterius liber est, idcirco quod in omni philosophia sibi ipse de huius operis disputatione consentit, et breuitas ipsa atque subtilitas ab Aristotele non discrepat, alioqui interruptum imperfectumque opus edidisse uideretur qui de syllogismis scriberet, si aut de propositionibus praetermisisset, aut de primis uocibus tractatum, quibus ipsae propositiones continentur, omitteret. Quanquam exstet alter Aristotelis liber de eisdem disputans, eadem fere continens, cum sit oratione diuersus; sed hic proprietatis liber calculum coepit. Archytes etiam duos composuit libros quos Καθόλου λόγους inscripsit, quorum in primo haec decem praedicamenta disposuit. Unde posteriores quidam non esse Aristotelem huius diuisionis inuentorem suspicati sunt, quod Pythagoricus uir eadem conscripsisset, in qua sententia Iamblicus philosophus est non ignobilis, cui non consentit Themistius, neque concedit eum fuisse Archytem, qui Pythagoricus Tarentinusque esset, quique cum Platone aliquantulum uiuisset sed peripateticum aliquem Architem, qui nouo operi auctoritatem uetustate nominis conderet.

² Boethius, *Cat.* 162A-B: Inscripsere namque alii de rebus, alii de generibus rerum, quos eadem similisque culpa confudit. + 161A Ut igitur concludenda sit intentio,

“Intendit de decem primis vocibus.” Vocum enim aliae sunt primae, aliae secundae. Primae sunt illae quae sunt primae impositionis, primae impositionis sunt quae sunt impositae ad res significandas, ut hae voces ‘homo’ ‘asinus’; secundae dicuntur illae voces quae sunt secundae impositionis, i.e. quae impositae sunt ad voces significandas, ut ‘nomen’ ‘verbum’. Nullum nomen secundae impositionis est praedicamentale. Ad remotionem ergo talium ait Boethius “De decem primis vocibus.”

Sequitur “decem prima rerum genera significantibus”. Quotiens hoc nomen ‘genus’ ponitur in genitivo casu ponitur pro hoc nomine ‘maneria’, ut ‘haec vestis est huius generis’ i.e. “huius maneriae”; quotiens etiam adiungitur dictioni genitivi casus, ut ‘hoc genus vestis’ i.e. “haec maneria vestis”. Similiter hic ‘decem prima rerum genera’ i.e. “decem primas rerum manerias.”

“Prout res significant.” Hoc appositum est ad remotionem intentionis quam habet Auctor in hoc opere et illius quam habuit in libro *Peri hermeneias*; et hic enim et ibi intendit Aristoteles de terminis, sed hic de terminis prout res significant, scilicet prout habent praedicari, et bene dixit Boethius “prout res significant” quoniam secundum variatam terminorum significationem variatur et eorum praedicatio. Si enim terminus unam solum habeat significationem, dicetur unum solum praedicabile, i.e. individuum; si plures habeat significationes, erit plura praedicabilia. Hic autem intendit Aristoteles de terminorum praedicatione, in libro *Peri hermeneias* intendit de terminis, sed prout intellectus constituunt, sc. prout ponuntur in constitutione propositionis³ et cooperantur ad constitutionem intellectus constituti per propositionem.

Et idem Boethius statim subiungit⁴ “Haec assignatio rudibus et imperitis proposita est, longe autem subtilior et expedi\nti/or fuit Aristotelis intentio \n hoc opere/.”

\Sed quoniam tractatus ille in quo illa subtilior continebatur ad nos non pervenit,/ ideo a diversis diversis modis assignatur quae fuerit illa Aristotelis intentio.

Quidam dicunt illam fuisse assignare naturam terminorum praedicandi inter se, unde ait Aristoteles “Si aliquid praedicatur de alio ut de subiecto, quicquid de praedicato et de subiecto”.⁵

dicendum est in hoc libro de primis vocibus, prima rerum genera significantibus in eo quod significantes sunt, dispositum esse tractatum.

³ propositionis] proposition(um) O.

⁴ Ad Boeth. Cat.: 160A referri videtur, sed longe a verbis Boethii aberrat noster.

Alii asserunt illam intentionem fuisse assignare naturam terminorum removendi a se, unde subiungit Aristoteles “Diversorum generum et non subalternatim positorum diversae sunt species et differentiae”.⁶ /1rB /

Nos dicimus illam Aristotelis intentionem fuisse distinguere praedicamenta inter se, ut per distinctionem [[praedica]] principiorum praedicamentorum pateat decem praedicamentorum contenta esse impermixta.

Sequitur quae sit materia, quis finis intentionis, quis modus agendi, et quis ordo, quae inscriptio et cui parti logices supponatur.

Materia huius auctoris sunt decem generalissima et eorum contenta.

Finis intentionis sive utilitas est comprehendisse notitiam decem generalissimorum et eorum contentorum.

Modus agendi quinquepertitus. Agit enim definiendo, dividendo, exempla supponendo, probando et improbando, communitates et differentias assignando.

Ordo talis est: Praemittit Auctor tractatum in quo agit de quibusdam quae necessaria erant ad decem praedicamentorum cognitionem \et ille tractatus dictus est “Antepaedicamenta”/. Subiungit de decem praedicamentis, et de quattuor primis agit plene et perfecte, de aliis sex agit imperfecte et compendiosissime \vel quia non erat illorum adeo nota doctrina ut priorum, vel quia diffusius de illis alibi tractaverat, sc. in libro de sex principiis/. Ultimo constituit quendam tractatum in quo agit de quibusdam quorum notitia erat necessaria ad praecedentium cognitionem, et tractatus ille dictus est “Postpaedicamenta”.

Inscriptio talis est: “Incipiunt categoriae Aristotelis”. ‘Categorizo, -zas’ idem est quod “praedico, -cas”, inde ‘categoriae, -arum’ “praedicamenta, -torum”. ‘Aristotelis’ nomen est auctoris, ad differentiam aliorum qui etiam sua ediderunt Praedicamenta, ut Archytes et Augustinus. Est ergo idem dicere “Incipiunt Categoriae Aristotelis” “Incipiunt Praedicamenta Aristotelis”.

Hoc nomen ‘praedicamentum’ multas habet acceptiones.

Dicitur enim praedicamentum propositio praedicativa et affirmativa, unde dictum est in libro Analyticorum “Universale praedicamentum non

⁵ Arist. *Cat.* 3.1b10-12

⁶ Arist. *Cat.* 3.1b16-17

convertitur simpliciter”,⁷ i.e. “universalis propositio non convertitur simpliciter”.

Dicitur etiam praedicamentum praedicatus terminus, unde dictum est in libro *Peri hermeneias* “Quaedam praedicata divisim praedicantur coniunctim, ut omnium sit unum praedicamentum”,⁸ i.e. “ut ex omnibus illis constitutus sit unus praedicatus terminus.”

Dicitur etiam praedicamentum modus praedicandi in quid vel in quale vel in quomodo se habet, secundum quod dicitur in primo *Topicorum* ‘Omnia genera et omnes species continetur in primo praedicamento’,⁹ i.e. “omnia genera et omnes species praedicantur in quid.”

Dicitur iterum praedicamentum collectio generalissimorum et eorum contentorum, unde dicit Porphyrius¹⁰ “In unoquoque praedicamento sunt generalissima et specialissima et eorum media.”

Dicitur etiam praedicamentum genus generalissimum, quod dignissimum est inter omnia praedicamenta.

Iterum dicitur praedicamentum tractatus constitutus de quolibet praedicamento, unde habetur “Finito primo praedicamento transeundum est ad praedicamentum quantitatis”,¹¹ i.e. “finito tractatu primi praedicamenti transeundum est ad tractatum praedicamenti quantitatis.”

Praedicamenta in plurali dicuntur media pars praesentis voluminis specificata hac appellatione. Dicuntur¹² etiam Praedicamenta totale hoc volumen prout dicitur “Incipiunt Praedicamenta Aristotelis”.

Supponitur autem hoc opus illi parti logices quae dicitur scientia inveniendi, prout logica dicitur tertia pars trivii. In hoc enim opere docetur habitudo terminorum, per quam cognitam abundantes erimus in argumentationibus constituendis. Plurimum tamen iuvat hoc opus artem iudicandi.

His praelibatis litterae insistendum est. /1vA/

<1.1a1> \AEQUIVOCA DICUNTUR/. Tractaturus Auctor de decem praedicamentis praemittit de quibusdam necessariis ad eorum cognitionem, de aequivocis, univocis, et denominativis. Et ideo praemittit de ae-

⁷ Cf. Arist. *APr.* 1.28, 44a34 (trl. Boethii): eo quod convertatur universale praedicamentum ad particulare.

⁸ Arist. *Int.* 11, 20b31-32

⁹ Cf. Arist. *Top.* 1.9

¹⁰ Porphyrius] porphilius O. Vide Porph. *Intr.* 4.15-16 Busse

¹¹ Locum non inveni.

¹² dicuntur – Dicuntur] dicitur – Dicitur malim.

quivocis, assignabit enim Auctor terminorum praedicationem, indistinctio autem aequivocationis \plurimum/ [[maxime]] impedit \natura<m>/ praedicationis, et ut perfecta habeatur de terminorum praedicatione notitia agit de aequivocis. De univocis ideo quoniam tractabit de generibus et speciebus, quae univoce praedicantur de suis contentis, et ut sciatur quid sit genus et quid species agit de univocis. Ad hoc enim quod aliquis terminus sit genus vel species oportet ut univoce praedicetur de contentis suis. De denominativis agit quia pleraque novem praedicamentorum contenta sumuntur denominative. Inferius etiam faciet Auctor [[de]] mentionem de aequivocis, univocis, denominativis, qui locus remaneret incognitus nisi praescito quae sint aequivoca, quae univoca, et quae denominative sumpta. Iterum hic agit Auctor primo de aequivocis, terminorum enim omnia continentium nullus est qui non sit aequivocus; vel quia magis confert scientia habita de aequivocis quam de aliis.

Ad quorum evidentiam videndum est paucis quid sit aequivocatio, quae sint aequivoca, quibus conveniat aequivoce praedicari, et quibus non. Et sic per ordinem suo loco agetur de univocatione et de denominatione.

Hoc nomen 'aequivocatio' duas habet significationes active et duas passive, sicut et hoc nomen 'aequivoca'.

Aequivocatio active est multiplicitas dictionis diversa significantis ex diversis institutionibus vel ex una facta propter illa significanda. Ad remotionem multiplicatis quae est in oratione, sc. amphibologia, dictum est "multiplicitas dictionis"; "diversa significantis" apponitur ad remotionem \dictionis/ diversa[[s]] consignantis, ut 'res'; "ex diversis institutionibus" ad remotionem dictionis quae diversa significat ex translatione, ut 'ridet'; "vel ex una institutione" apponitur ad comprehensionem nominum verbalium, ut 'lectio' et verborum communium; "facta propter illa significanda" ad [[d]]remotionem pronominum, quae diversa significant, ut 'ego', sed non fuerunt inventa propter illa significanda. Aequivoca est omnis et sola illa dictio cui convenit hoc.

Iterum, aequivocatio active est proprietas dictionis pluribus convenientis sine ratione substantiae. Ratio substantiae est definitio vel descriptio assignata substantiali, ut omni generi et omni speciei, vel naturali vel proprie proprio. Secundum¹³ hoc hoc nomen 'album' est aequivocum quia

¹³ secundum] vel O.

convenit pluribus sine ratione substantiae, et omnis vox cui talis convenit proprietas est aequivoca.

Aequivocatio passive est proprietas rerum participantium nomine in diversis significationibus. Verbi gratia, istae duae res, sc. marinum et labratile, participant aequivoce hoc nomine ‘canis’, et sub hoc sensu ista sunt aequivoca, i.e. aequivocata.

Iterum, aequivocatio passive est proprietas rerum participantium nomine et non ratione assignata secundum illud: verbi gratia, demonstratis duabus rebus albis, istae res sunt aequivocae i.e. aequivocatae/, sub hoc nomine ‘album’, i.e. participant hoc nomine et non ratione assignata secundum illud. Et omnia talia sunt aequivoca i.e. aequivocata, et in hoc sensu hoc nomen ‘aequivocum’ habet dici in respectu, ut ‘hoc est aequivocum illi’; non autem sic est dicendum ‘hoc est aequivocum, et ista sunt aequivoca i.e. aequivocata sub aliquo nomine’. Et in hac significatione ultima utitur Auctor hic hoc nomine ‘aequivoca’ dicens /1vB/ Aequivoca dicuntur etc., i.e. illa dicuntur, i.e. sunt, sicut econtrario invenitur “nec tantis cladibus auctor Poenus erit”¹⁴ i.e. dicitur.

Aequivoca, i.e. aequivocata, i.e. illae res sunt aequivocatae; illa, dico, sunt aequivoca quorum commune est /etc./, i.e. quibus commune est ita quod haec vox ‘nomen’ non construatur cum hoc genitivo ‘quorum’ sed haec ‘commune’. Est enim regula: “Quotiens haec vox ‘nomen’ adiungitur genitivo significat proprium nomen”, ut ‘hoc est nomen Socratis’ i.e. “proprium nomen Socratis”. Propter hoc non est dicendum “quorum nomen”, esset enim sensus “quorum proprium nomen”, quod manifeste falsum est.

Haec dictio ‘solum’ diversas habet facere exclusiones, quandoque enim excludit universitatem rerum, ut ‘solus deus est omnipotens’, i.e. “deus et nihil aliud”. Quandoque excludit tantum res unius speciei, ut ‘unus solus homo est hic intus’ i.e. “unus homo et non plures”, sive multi asini sint hic intus sive multi equi. Quandoque excludit tantum res alterius maneriae, ut ‘tantum homo est hic intus’ i.e. “homo et nihil aliud”. Quandoque excludit tantum contrarium, ut ‘iste est tantum albus’ i.e. “albus et non niger” sive sit grammaticus seu musicus. Quandoque determinatam facit exclusionem, ut hic quorum commune est solum nomen i.e. “quibus est commune nomen et non est communis ratio substantiae. Unde subiungit secundum nomen vero substantiae ratio diversa i.e. non est eadem,

¹⁴ Lucanus 1.30-31

ita ut hoc nomen 'diversa' non ponat diversitatem sed privet identitatem. Pluraque enim sunt aequivocata quae nullam habent rationem substantiae. Exempli\fi/cat quod dixit: ut animal homo et quod pingitur i.e. sub hoc nomine 'animal' aequivocantur, i.e. hoc nomine 'animal' participant aequivoce homo, i.e. verus homo, et quod pingitur, i.e. pictura quae repraesentat hominem. Horum enim etc., ratio diversa est, i.e. non est eadem, quod probat: Si enim quis assignet quid utrumque sit, i.e. de utroque quid ipsum sit, in quo sunt animalia, i.e. in quantum sunt animalia, propriam assignabit etc., i.e. non assignabit illis substantiae communem rationem.

<1.1a6> \VNIVOCA etc./

Tractatui aequivocorum continuat Auctor tractatum de univocis. 'Univocatio' active dicitur et passive, et 'univoca'.

Univocatio est proprietas dictionis plura appellantis in eadem significatione, et talis proprietas convenit huic dictioni 'homo'. Item, univocatio est proprietas dictionis plura appellantis cum eadem ratione substantiae; talis etiam proprietas convenit huic dictio<ni> 'homo'. Item, univocatio passive est proprietas rerum appellatarum nomine in eadem significatione, et talis proprietas inest istis duobus hominibus, quia illis convenit hoc nomen 'homo' in eadem significatione. Item, univocatio est proprietas reum participantium nomine et ratione assignata secundum illud nomen, et talis passio inest etiam istis duobus.

Praedicto modo dicitur dictio univoca¹⁵ quae convenit pluribus in eadem significatione, ut 'homo'; et quae convenit pluribus cum ratione substantiae, ut hoc universale 'homo'. Secundo modo dicuntur illa univoca quae participant \nomine/ in eadem significatione, et quae participant nomine et ratione assignata secundum illud, ut hi duo homines; et in hac ultima significatione accipitur hoc nomen 'univoca' hic.

<1a6> Univoca dicuntur quorum etc., i.e. illae res sunt univocae, i.e. univocatae, sub aliquo nomine, quibus commune est nomen et ratio substantiae assignata secundum illud nomen, ut animal i.e. sub hoc nomine 'animal' univocantur homo atque bos. Communi enim nomine utraque animalia nuncupantur etc., i.e. ista duo animalia communiter participant hoc nomine 'animal' et ratione assignata secundum illud. Si quis enim as-

¹⁵ univoca] aequivoca O.

signet utriusque rationem <quid utrumque est> quo sunt animalia, i.e. in quantum sunt animalia, eandem assignabit rationem. Hoc modo: homo est substantia animata sensibilis, bos est substantia animata sensibilis.

Gratia aequivocationis et univocationis ponit Commentator duas alias species nominum: multivoca et diversivoca.¹⁶ Multivocatio est proprietas diversorum nominum idem significantium. Diversivocatio est proprietas diversorum nominum diversa significantium. Multivocatio contraria est aequivocationi, diversivocatio contraria univocationi. Duo istorum absolutam habent positionem et in singulari et in plurali, ut 'ista nomina sunt aequivoca, ista sunt univoca, hoc nomen est aequivocum, hoc nomen est univocum'. Duo alia tantum in plurali, ut 'ista sunt multivoca, ista sunt diversivoca'; incongrue dicitur 'istud est multivocum, istud est diversivocum' /2rA/ nisi sic dicatur 'hoc est multivocum illi, hoc est diversivocum illi'. Item, istorum tria inveniuntur et in propriis et in appellativis: et propria et appellativa sunt aequivoca, multivoca, diversivoca; univoca sunt tantum appellativa.

Dubitatur utrum sub verbo et participio inveniantur aequivoca et univoca. Quod non videtur, Sunt enim aequivoca quorum nomen commune est etc.; similiter univoca sunt quorum nomen commune est etc.; et ita tam aequivoca quam univoca continentur sub nomine, sed \nec/ participia nec verba; quare non videntur esse \ae/quivoca vel univoca. Ad hoc dicimus quod haec vox 'nomen' ibi large accipitur pro dictione, sicut alibi "foliisque notas et nomina mandat",¹⁷ et sic et verba et participia sunt aequivoca vel univoca

Item quaeritur, cum Auctor \non intendat/ nisi de terminis, quare hic descripserit res prout sunt aequivocae vel univocae, non autem nomina prout dicuntur aequivoca vel univoca. Ad hoc dicimus quod correlativa sunt res esse aequivocas et nomina esse aequivoca; sed non potest haberi notitia unius correlativorum quin habeatur notitia de reliquo; scito ergo uno correlativorum satis dedit intelligi reliquum.

Item, posito quod hoc nomen 'Caesar' conveniat enti et convenit non enti, quaeritur utrum ipsum sit aequivocum. Potest dici quod est aequivocum, sed non aequivocum ad aliqua, quia hoc nomen 'aliqua'

¹⁶ Boethius, *Cat.* 164A.

¹⁷ Vergilius, *Aeneis* 3.444. Cf. Anon., *Comm. Cat.*, cod. Patav. BU 2087: 2vB, *ubi idem locus Vergilianus ad eandem rem exemplificandam affertur.*

\pertinet/ ad¹⁸ existentia, et esset sensus “est aequivocum ad aliqua quae sunt”. Vel dicatur quod est aequivocum ad aliqua, et ampliatur significatio¹⁹ huius nominis ‘aliqua’ ex adiuncto hoc modo ad aliqua quae sunt vel fuerunt vel erunt, vel quorum unum est et alterum non est.

Quaeritur utrum isti duo lapides participant hoc nomine ‘lapis’ aequivoce vel univoce. Hoc nomen ‘lapis’ est genus, ergo praedicatur de suis contentis univoce. Item hoc nomen convenit istis et nulla ratio assignata secundum illud, ergo convenit istis aequivoce; et ita et aequivoce et univoce. Dico quod tantum univoce, et convenit eis ratio assignata secundum nomen, non quae est sed quam potest habere.

Item, quaeritur utrum aliqua aequivoca sint univoca. Quod concedimus, immo in aliqua significatione omnia aequivoca sunt univoca, omnia enim participant hoc nomine ‘ens’ in eadem significatione, et ita univoce; et omnia participant eodem nomine et nulla ratione assignata secundum illud, et ita aequivoce; ergo omnia aequivocantur et univocantur sub hoc nomine ‘ens’.

Item, quaeritur utrum aliqua in eo quod sunt univoca sint aequivoca. Quod concedimus si haec \vox/ ‘in eo’ notet causam remotam et non sufficientem, secundum quod dicitur ‘Socrates in eo quod est albus est similis Platoni’, quia haec vox ‘in eo’ notat causam co^{<o>}perantem sed non sufficientem, potest enim esse albus etsi non sit similis Platoni. Similiter et ibi.

Item quaeritur utrum aliqua sint aequivoca in eo in quo sunt univoca, i.e. utrum sub nomine sub quo sunt aequivoca sint univoca. Quod concedimus. Ista enim duo, homo lapis, sunt aequivoca et univoca sub hoc nomine ‘sensibile’, est enim sensibile potens sentire prout dicitur de homine, et sensibile potens sentiri prout dicitur de lapide.

Cetera circa aequivocationem et univocationem dubitabilia disputationi relinquimus.

<1a12> DENOMINATIVA etc.

Capitulum aequivocorum et univocorum subiungit Auctor tractatum denominativorum. Quare videndum est quot modis sumatur aliquid, et quid denominative, quid exigatur ad hoc quod aliquid sit denominative sumptum.

¹⁸ \pertinet/ ad] ad \pertinet/ O.

¹⁹ significatio] sic! O.

Quandoque sumitur nomen a naturali potentia cuius nomen non habemus, ut 'cursor' sumitur a quadam proprietate, sed nomen illius proprietatis non habemus. Quandoque nomen sumitur a proprietate, sed ipsum cum nomine proprietatis differt et in principio et in fine, ut 'studiosus' a virtute. Quandoque nomen sumitur a proprietate, sed cum illa convenit et in principio et in fine, ut 'grammatica' adiectivum a grammatica proprietate. Nomen illud quod est denominative sumptum sumitur a proprietate ita quod conveniat cum eo in principio et differat in fine, ut 'albus' ab albedine. Patet ergo tria esse necessaria ad hoc quod aliquid sumatur denominative: ut ipsum sumatur a proprietate nomen habente, et conveniat cum nomine proprietatis in principio, et differat in fine.

Videtur autem quaedam esse /2rB/ repugnantia in assignatione denominativorum inter grammaticos et dialecticos. Grammatici dicunt quod a 'iustus, -sti' addito '-tia' fit 'iustitia', dialectici econverso. Dicimus quod inter ipsos non est contrarietas: grammatici enim de vocibus, dialectici intendunt de rebus. Grammatici dicunt quod ab hoc nomine 'albus, -bi' sumitur 'albedo', ita quod 'ab' sit originale et hoc nomen 'albedo' sit materialiter positum, i.e. hoc nomen 'albedo' derivatur ab hoc nomine 'albus' vel per transpositionem vel per additionem vel per demptionem litterae vel litterarum. Dialectici sic assignant: hoc nomen 'albus' sumitur ab albedine, ita quod 'ab' sit causale, i.e. propter copulandam albedinem, et hoc nomen 'albedo' ponitur significative.

[[Videtur]] Boethius [[dixisse]] \dicit/ in commento super hoc opus:²⁰ "Quicquid participat re et nomine et econverso, ut si isti inest grammatica iste est grammaticus et econverso." Sed primum manifeste falsum est. Ait enim Aristoteles in libro Topicorum:²¹ "Difficile est convertere denominationem ab accidente", i.e. difficile esset asserere quod qui participet proprietate participet nomine. Quod autem dicitur "Qui participat nomine participat re" sic est supplendum: Qui participat sumpto a proprietate nomen habente et in vi sumpti retento participat proprietate designata per illud nomen.

Hic solet quaeri utrum hoc nomen 'albus' \denominative/ sumatur a candore.

²⁰ Cf. Boeth., *Cat.* 168A-B

²¹ Arist., *Top.* 2.1.109a10-11, trl. anonyma AL V.3: 209: 14-15: Est autem difficile convertere ab accidenti propriam denominationem.

Sunt qui dicant ipsum non sumi a candore, esset enim sensus “sumitur a tali proprietate tali nomine designata[m]”, \et hi in talibus constituunt accidens/²² sicut nec concedunt ‘hoc nomen ‘lac’ desinit²³ in ‘k’”, esset enim sensus “desinit in hoc elemento tali figura repraesentato.”²⁴ Secundum hoc potest aliquis scire Marcum esse etsi non sciat Tullium esse, esset enim sensus “scit istum esse significatum hoc nomine ‘Tullius’.

Nos dicimus quod hoc nomen ‘albus’ sumitur a candore, sed non prout significatur tali nomine; et hoc nomen ‘lac’ desinit in ‘k’, licet dicat Priscianus “‘k’ nullius syllabae est terminalis”,²⁵ sc. prout repraesentatur tali figura.

Item, ‘grammaticus’ et ‘grammatica’ sunt idem nomen, et ‘grammaticus’ sumitur denominative a grammatica, ergo ‘grammatica’ hoc nomen sumitur a grammatica. Quod concedimus, sed non in hac voce sed in alia. Non tamen sumitur a scientia, non [[tamen]] enim est sumptum propter talem maneriam proprietatum copulandam.

<1a12> Denominativa sunt²⁶ etc. Denominata sunt res, denominativa nomina, sicut comparata sunt res et comparativa nomina. Praedicta sunt univoca, vero i.e. sed illa nomina quaecumque habent appellationem, i.e. proprietatem appellandi active et non passive, i.e. quae res appellant. Sed quia hoc convenit nominibus appellativis ut ‘homo’ ‘animal’, addit “ab aliquo” i.e. ab aliqua proprietate. Sed quia hoc habent quae sumuntur a proprietatibus non habentibus nomina, ut ‘pugil’ ‘cursor’, ad differentiam talium subiungit secundum nomen i.e. a proprietate nomen habente. Sed quia hoc convenit nominibus quae conveniunt cum nominibus proprietatum in principio et in fine, dicit differentia casu i.e. fine; casus enim est regularis inflectio vocis. Sed quia hoc habent quae in principio et in fine differunt, subiungit solo, i.e. sic differunt in fine quod conveniunt in principio. Unde exemplificat ut a grammatica grammaticus et a fortitudine fortis etc.

Quaeri solet hoc loco utrum alia a nominibus sint denominativa. Ad hoc dicimus quod verba quaedam sunt denominativa, sc. verba praesentis

²² et hi – accidens] *post* tali proprietate *hanc additionem inserendam esse indicavit* O.

²³ desinit] *desinat* O.

²⁴ elemento – repraesentato] *elementum – repraesentatum* O.

²⁵ Prisc., *Inst.* 2.2.9

²⁶ sunt] *sumuntur* O.

temporis indicativi modi, ut ‘currit’, quia proprietatem notat quae alicui inest. Verba praeteriti temporis vel futuri – ‘currebat’ ‘curret’ – non copulant proprietates quae insint aliquibus, et ideo non sunt praedicabilia nec denominativa. Similiter quaedam participia, et non omnia, denominativa sunt, sc. participium praesentis temporis ut ‘currens’, copulat enim proprietatem quae inest alicui; participia vero praeteriti temporis et futuri non sunt denominativa, ut ista ‘mortuus’ ‘moriturus’, quoniam non copulant aliquas proprietates.

<2.1a16> EORUM etc.

Finitis prooemialibus [[accedit Auctor ad principale propositum. Et quia non intendit Auctor nisi de terminis, ideo inchoans a superiori dividit sermonem]] \dividit Auctor sermonem ut ita per gradus divisionis accedat ad principale propositum/. Sermonum alius complexus, alius incomplexus. Complexus est ille qui habet sermonem partem sui. Incomplexus est ille qui non habet sermonem partem sui, “in vi sermonis retentum” supple propter hanc \vocem/ ‘vires’, quia neutra pars /2vA/ illius dictionis in vi sermonis tenetur.

Et divisio illa non est per opposita: aliquis enim sermo est complexus et incomplexus, ut ‘mecum’. Quamobrem? Quia haec vox ‘mecum’ est dictio accusativi casus huius nominis ‘mecus, -chi’²⁷ et est oratio composita ex propositione et pronomine. Non tamen dico quod haec vox ‘respublica’ est dictio et oratio, quia aliquid est pars huius dictionis, sc. haec vox ‘respu’, quod non est pars orationis, quia nec est dictio nec est pars alicuius dictionis constituentis orationem. Sed in hac voce ‘mecum’ nihil est pars dictionis quod non sit pars orationis et econverso. Probat Boethius in commento super hoc opus quod non intendat auctor iste nisi de sermonibus incomplexis, et ideo dicimus quod nullus terminus complexus est genus vel species.

Dubitatur de hac voce ‘diligit se’ et de hac ‘de domo’ utrum sit \sermo/ complexus vel incomplexus. Ad hoc breviter dicimus quod haec vox ‘diligit se’ non est sermo, et ita nec complexus nec incomplexus. Est enim regula: “Quotiens aliquod syncategoreuma ponitur in constitutione vocis quod non reducitur ad certitudinem ex aliquo ibi posito, totalis vox est syncategoreuma”, i.e. consignificans. Quare, cum in praedicta locuti-

²⁷ i.e. moechus, moechi

one ponatur hoc relativum 'se', cuius respectus non determinatur ex aliquo, facit totalem vocem consignificativam. Si item esset sermo, ergo sermo complexus vel incomplexus. Si complexus, ergo oratio; ergo posset resolvi in duas intelligibiles partes. Si incomplexus, ergo dictio, ergo non habet dictionem partem sui. De hac voce 'de domo' potest dici quod est sermo complexus, et 'de' est ibi vel memoriale \sermocinale/ vel materiale.

<1a16> Eorum quae dicuntur, i.e. sermonum, quorum proprium est dici. 'Dici' tamen dupliciter accipitur: 'dici' pro "dicto significari" i.e. enuntiari, et secundum hoc convenit tantum enuntiabilibus; sola enim enuntiabilia enuntiantur. 'Dici' etiam accipitur pro "proferri", et in hac significatione convenit vocibus; voces enim dicuntur, i.e. proferuntur. alia quidem secundum complexionem dicuntur, i.e. alii sunt sermones complexi, alia sine complexione, i.e. alii sunt sermones incomplexi. Et ea etc.: Exemplificat de sermonibus complexis, consequenter de incomplexis. Et ea quae dicuntur secundum complexionem sunt, i.e. sermones complexi sunt ut hii 'homo currit' 'homo vi<n>cit'. Exemplificat de oratione perfecta, adeo congrue posset exemplificare de imperfectis. Ea vero quae sine complexione sunt i.e. sermones incomplexi sicut hii 'homo' 'bos' 'vincit' 'currit'.

<1a20> Eorum etc. Divisit Auctor sermonem bimembri divisione, hic dividit Auctor praedicabile quadrimembri divisione, sc. praedicabile tale quod²⁸ est sermo incomplexus, de quo intendit, ut ita sermonem illum de quo non intendit separet ab illo de quo intendit. \Et est haec divisio talis:/ Praedicabilium aliud dicitur de subiecto, et est in subiecto; aliud dicitur de subiecto, et non est in subiecto; aliud non dicitur de subiecto, sed est in subiecto; aliud nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto. Haec divisio conficitur ex duabus \bimembribus/ divisionibus secundum hanc regulam: "Quotiens aliquid dividitur bimembri divisione, et idem dividitur alia bimembri, et membra unius sunt excedentia et excessa cum membris alterius, combinatis membris istius cum membris illius fiet quadrimembris divisio", \ut hic: vocum alia articulata, alia inarticulata; alia litterata, alia illitterata; et quaedam articulata est litterata, quaedam non; et ita vocum alia articulata et litterata, alia articulata et illitterata, alia inarticulata et litterata, alia inarticulata et illitterata./

²⁸ quod] qui O.

Quid sit dici de subiecto et esse in subiecto hic breviter dicimus, quia plenius prosequetur hoc Aristoteles inferius. Dici de subiecto est praedicari de inferiori nomine et ratione substantiae. Esse in subiecto est inesse alicui accidentaliter.

Sed per hanc assignationem videtur primum membrum huius divisionis nulli convenire; dici enim de subiecto non convenit nisi praedicabili, quia nihil praedicatur de aliquo secundum nos nisi praedicabile; esse in aliquo accidentaliter convenit tantum proprietati, et omnis proprietas est forma, ergo tantum forma est in aliquo; sed nihil idem est forma et praedicabile; ergo nihil idem dicitur de subiecto et est in subiecto.

Ad hoc dicimus quod multotiens auctores attribuunt aliqua rebus gratia terminorum et aliqua terminis gratia rerum, ut hic “praedicabile est in subiecto” gratia proprietatis copulae per ipsum quae inest subiecto.²⁹

/2vB/ Videndum est quibus convenient singula membra praedictae divisionis. Dici de subiecto et esse in subiecto convenit omnibus generibus et omnibus speciebus novem praedicamentorum praeter species et praedicabilia quae copulant vel appellant substantiales differentias, ut hoc praedicabile ‘rationale’ et haec species ‘rationalitas’. Dici de subiecto et non esse in subiecto convenit omnibus generibus et omnibus speciebus primi praedicamenti et terminis significantibus vel appellantibus substantiales differentias. Non dici de subiecto et esse in subiecto convenit omnibus contentis sub generibus et speciebus novem praedicamentorum exceptis praedicabilibus quae copulant vel appellant substantiales proprietates. Nec dici de subiecto nec esse in subiecto convenit omnibus individuis primi praedicamenti, et illis quae copulant vel appellant substantiales differentias, ut ‘hoc rationale’ ‘haec rationalitas’, et omnibus extrapraedicamentibus, ut ‘vox’ ‘nomen’.

Legatur sic littera: <1a20> Eorum quae sunt [[etc.]] i.e. praedicabilium. Et ideo sic exponimus quoniam dissentio erat apud antiquos, et adhuc est apud modernos, de essentia praedicabilium quae rerum maneria essent. Et ideo ut nulli videretur contradicere sententiae, mos erat \huius/

²⁹ *Quae in codice sequuntur* Erant qui dicerent quod liquor quod est in vase est in subiecto etc. usque ad iste videt hunc qui est pater Platonis signis -a- et .b. prae- et postpositis ad signum .c. infra, inter ad remotionem ulterioris et Boethius in commento ponit quaestionem de odore pomi positum trahenda esse indicavit O, quo loco ea reperies.

auctoris ut generali appellatione praedicabilia vocaret entia. Et ideo ait “Eorum quae sunt”, i.e. entium. Vel, ut alii dicunt, <dicendum> Auctorem hoc fecisse propter quandam cautelam, ut det intelligi tantum ea esse praedicabilia quae conveniunt existentibus per appellationem.

Continuatio: Ita divisus est sermo in generali, vero, i.e. sed, eorum quae sunt, i.e. praedicabilium, quae conveniunt entibus per appellationem, alia de subiecto quodam dicuntur, i.e. praedicantur de inferiori nomine et ratione substantiae, in subiecto vero nullo sunt, i.e. non significant res quae insint aliquibus accidentaliter. Praedicabilibus enim, ut diximus, attribuitur esse in subiecto gratia significatorum, et hoc improprie. Et exemplificat ut homo, i.e. hoc praedicabile ‘homo’; et hoc membrum convenit omnibus generibus et speciebus primi praedicamenti; de subiecto quidem homine dicitur, i.e. praedicatur univoce de termino discrete significante hominem, in subiecto vero non est, i.e. non significat rem quae accidentaliter insit alicui. Alia – secundum membrum subiungit – autem in subiecto quidem sunt, i.e. significant res quae accidentaliter insunt aliquibus, et non dicuntur de subiecto, i.e. non praedicantur de inferiori nomine et ratione substantiae; et hoc membrum convenit omnibus individuis novem praedicamentorum exceptis illis quae significant substantiales proprietates, ut hic terminus ‘haec rationalitas’.

Sequitur <1a24> In subiecto vero esse etc.; sed litteram sic legimus ut prius exemplificemus de /eo/ quod praedictum est, alia sunt in subiecto et non dicuntur de subiecto. Unde subiungit Auctor ut quaedam grammatica in subiecto quidem est, i.e. ut proprietas designata hoc termino ‘grammatica’ est in subiecto i.e. accidentaliter inest alicui ut in anima, de subiecto quidem nullo dicitur, i.e. terminus discrete significans grammaticam non praedicatur de aliquo inferiori nomine et ratione substantiae, et quoddam album in subiecto quidem est in corpore i.e. terminus discrete significans albedinem significat proprietatem existentem in subiecto, i.e. in corpore. Et hoc probat: omnis enim color in corpore est.

Revertamur ad id quod praetermissum est: <1a24> In subiecto vero esse dico etc. In duobus membris superioris divisionis posuerat Auctor “esse in subiecto”, nec certificaverat quid sit esse in subiecto. Ideo hic definit quid sit esse in subiecto, et hoc ad removendum duplicem quorundam errorem. Erant enim qui dicerent partem esse in toto ut in subiecto; alii dicebant contenta esse in continentibus ut in subiectis, ut vinum in scypho. Propter remotionem prioris sententiae ait Auctor in subiecto esse

dico quod cum in aliquo sit non sicut eius pars, et impossibile est esse sine eo in quo est quantum ad remotionem ulterioris.

/2vA/ Erant³⁰ qui dicerent quod liquor qui est in vase est in subiecto, sed non est in vase ut in subiecto. Et hoc videbantur sibi sic probare: Liquor est in vase, quod est subiectum alicuius; ergo est in hoc quod est subiectum; ergo est in hoc subiecto; ergo est in subiecto.

Ad hoc dicimus quod haec 'liquor est in subiecto' vel incongrua est vel tantum falsa. Sicut enim nomina respectiva absolutam non habent positionem \in singularibus/, unde haec incongrua est 'iste videt patrem' nisi per subintellectum correlativi, ut 'iste videt patrem suum' vel 'ego video patrem meum', similiter cum hoc nomen 'subiectum' habeat dici in respectu, incongrue dicitur 'liquor est in subiecto' nisi subintelligatur 'suo'; quod si subintelligitur, locutio tantum falsa est, quoniam /2vB/ liquor nullum habet subiectum.

Instantia huius argumenti "est in hoc, quod est subiectum albedinis; ergo est in hoc subiecto": iste videt hunc, qui est pater Platonis; ergo videt patrem.

Boethius in commento ponit quaestionem de odore pomi, utrum odor sit in pomo ut in subiecto.³¹ Quod non videtur: si enim pomum aliquamdiu teneatur in manu, manus fiet odora, et ita odor pomi videtur transire in manum; ergo non erit in pomo ut in subiecto.

Ad hoc una est solutio quod odor pom[[o]]\i/ effectivus est cuiusdam odoris qui est in manu, et ille odor non potest non esse in manu, sicut calor ignis effectivus est cuiusdam caloris qui est in ferro, et tamen calor ignis est in igne ut in subiecto. /3rA/ Alia exquisitior est solutio quod superficies exterior pomi po[[m]]\ro/sa est et per poros evaporant particulae minutissimae, et illae transeunt in manum, et odor qui est in illis reddit manum odoram; cum enim illae sint humidae, cohaerent manui. \...../³² Et hoc dupliciter convincitur: cum quia si pomum diu tenetur in manu

³⁰ Erant etc. usque ad ergo videt patrem superius (ante Videndum est quibus conveniant singula membra praedictae divisionis) cum posuisset O, huc transponenda esse indicavit.

³¹ Boethius, Cat. 173B

³² Vestigia additionis in mg. sup. scriptae extant, quae ad hunc locum pertinuisse videtur. Qui marginem reseuit nihil praeter pedes litterarum reliquit, ex quibus id tantum inferri licet, additionem unâ lineâ minorem non fuisse.

minuitur, tum quia si manus abluatur decident illae particulae a manu et desinet manus esse odora.

Item quaeritur de scientia in quo sit ut in subiecto. Non videtur esse in homine ut in subiecto, erit enim scientia in anima quando non erit corpus, sc. post obitum hominis. Ad hoc dicimus quod hoc dictum est de proprietatibus quae sunt in aliquibus ut in primis subiectis, et scientia est in corpore ut in secundo subiecto, in anima vero ut in primo subiecto et impossibile est eam esse sine anima.

Item nobis, qui dicimus quod nihil erit Socrates quod modo sit si aliqua pars ei addatur vel subtrahatur, sic obicitur: Risibilitas est in hoc homine, nihil est hic homo quod cras erit hic homo, et haec risibilitas cras erit, ergo in nullo erit in quo modo sit, ergo non est in homine ut in subiecto.

Ad hoc dici potest quod haec risibilitas est in homine ut in subiecto, non in essentia hominis sed in persona, licet idem sit persona quod essentia, tamen aliud convenit personae et aliud essentiae. Vel dicatur melius quod risibilitas confuse est in homine ut in subiecto, non haec risibilitas, sed quaedam, et cras quaedam erit in hoc homine ut in subiecto.

Illis qui dicunt \omne/ corpus in infinitum suscipere sectionem, concedendum est quod linea non est in corpore ut in subiecto, in nullo enim corpore est haec linea quod in infinitum non possit dividi, et ita in nullo est [[in quo]] quin in multo minori possit esse; ergo in nullo corpore est ut in subiecto.

Tertium membrum praedictae divisionis est dici de subiecto et esse in subiecto, et hoc membrum continet omnia genera et omnes species novem praedicamentorum praeter species significantes substantiales proprietates, ut rationalitas. Praedictum est quaedam esse in subiecto et non dici de subiecto, et econverso non solum haec sunt scienda, <1a29> vero \i.e. sed/ alia dicuntur de subiecto, i.e. praedicantur de inferiori univoce et sunt in subiecto, i.e. significant proprietates quae accidentaliter insunt aliquibus, ut scientia etc., i.e. hoc nomen 'scientia' significat rem quae accidentaliter inest animae. de subiecto vero dicitur i.e. praedicatur de inferiori etc., ut de grammatica, i.e. de aliquo inferiori huius speciei 'grammatica'.

<1b3> Alia vero: Quartum subiungit membrum, quod continet et omnia individua primi praedicamenti et terminos discrete significantes substantiales proprietates et extra praedicamentalia. Alia vero neque in subiecto sunt i.e. non significant rem existentem in alio accidentaliter neque de subiecto dicuntur, i.e. non praedicantur de inferioribus etc., ut aliqui homo et aliqui equus, i.e. ut aliquod individuum huius speciei ‘homo’ et aliquod huius speciei ‘equus’, si sit ibi “aliqui homo” secundum antiquos dictum qui sicut dicebant ‘quis’ vel ‘qui’, sic ‘aliquis’ vel ‘aliqui’.³³ Commendat quod dixit: vere praedicta nec sunt in subiecto nec dicuntur de subiecto, enim, i.e. quia, nihil horum enim est in subiecto neque de subiecto dicitur – superfluit una negatio more graeco – i.e. nullum horum neque praedicatur de aliquo nomine et ratione substantiae, neque est in aliquo accidentaliter.

<1b6> Simpliciter etc. Continuatio: dixi de quibusdam individuis quod non sunt in subiecto nec dicuntur de subiecto, autem i.e. sed simpliciter i.e. universaliter, dico de individuis quod non dicuntur de subiecto etc., hoc est: quae sunt individua et pro idem numero singularia, hoc ideo \ponit/ quia phoenix est individuum, sed non est singulare, et dicitur de inferiori nomine et ratione substantiae, sc. de hoc termino ‘hic phoenix’, talia de subiecto nullo dicuntur, autem <i.e.> \sed/ [enim] in subiecto nihil prohibet ea esse, i.e. quaedam significant res quae accidentaliter insunt aliquibus, quaedam enim grammatica in subiecto est ut superius expositum est.

<3.1b10> Quando alterum etc. Praemissis necessariis ad subsequendum cognitionem, hic ponit duas regulas etiam utiles ad sequentia, et ideo ponit ut removeat Platoniorum errorem. Platonici enim dicebant quod scientia continetur in praedicamento relationis et grammatica sub scientia, non tamen grammatica in praedicamento relationis sed in praedicamento qualitatis. Ad hoc removendum ait Auctor Quando alterum etc. Temporale adverbium ibi ponitur pro coniunctione condicionali, sc. ‘si’, sicut alibi³⁴ “necessarium est Socratem esse coloratum quando ipse est albus”, i.e. si ipse est albus, est ergo regula “Si aliquid de alio praedicatur ut de subiecto, quicquid de praedicato et de subiecto”; sed grammatica de scientia ut de subiecto; sed scientia de relatione, /3rB/ ergo grammatica de

³³ Hanc de antiquorum more loquendi observationem infra, fol. 4rB ad c.5 2a13, it-
erat noster.

³⁴ Locum non inveni.

relatione. Si aliquid de alio praedicatur ut de subiecto, i.e. ut de proprio contento, univoce, quod dictum est propter excludendum accidentalem praedicationem, ut ‘aes’ de ‘statua’ et ‘statua’ de ‘artificiali’, non tamen ‘aes’ de ‘artificiali’.

Dubitatur utrum haec regula sit maxima. Potest dici quod non est maxima, quia non notat habitudinem terminorum sed dispositionem propositionum. Vel dicatur quod est maxima [[et]] \quia/ notat habitudinem inferioritatis et superioritatis. Sed secundum hanc regulam fiet talis argumentatio ‘homo est animal, animal est substantia, ergo homo est substantia’, et erit illa argumentatio localis, et non complexionalis, sed non necessaria; est enim hic instantia ‘homo est animal, animal est asinus, ergo homo est asinus’, et ideo supplendum est “quicquid praedicatur de alio \ut de subiecto/” i.e. ut de proprio inferiori et universaliter etc., ut ‘omnis homo est animal, et omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia.’

Continuatio: <1b10> Quando alterum de altero i.e. quando unum de alio praedicatur ut de subiecto i.e. \ut/ de proprio contento, i.e. universaliter et in directa praedicatione, et ita removentur particulares quibus contingit minus de maiori praedicari, quaecumque praedicantur de subiecto ut de subiecto intellige, omnia superfluit, ut cum dicitur³⁵ ‘omnia quaecumque voluit dominus fecit’, i.e. quaecumque; vel “quaecumque” pro ‘quae’ legatur. i.e. omnia quae praedicantur de praedicato et de subiecto. Exemplificat de eo quod dixerat, et hoc est: ut homo de quodam homine praedicatur i.e. haec species ‘homo’ praedicatur de aliquo suo individuo, animal vero de homine i.e. hoc genus ‘animal’ praedicatur de hac specie ‘homo’; ergo et i.e. etiam de quodam homine etc., i.e. hoc genus ‘animal’ praedicatur de aliquo individuo huius speciei ‘homo’, quidam enim homo est et homo et animal, sc. aliquod individuum huius speciei ‘homo’ i.e. idem et est homo et est animal.

<1b16> Diversorum generum etc. Imitatur hic Auctor morem geometricum, sicut enim geometrae primo ponunt descriptiones, ut “punctus est cuius pars non est”,³⁶ secundo divisiones ut “triangulorum aliud tale aliud tale”,³⁷ tertio petitiones sive communes animi conceptiones ut “datam lineam quantumlibet protrahere”,³⁸ ita Auctor praemisit de de-

³⁵ Psalmi 134.6

³⁶ Euclides, *Elementa* 1, def. 1

³⁷ Euclides, *Elementa* 1, def. 20-21

³⁸ Cf. Euclides., *Elementa* 1, post. 1

scriptione aequivocorum et univocorum, deinde apposuit divisionem sermonum, postea subiungit regulas quae sunt velut petitiones vel communes animi conceptiones.

Secundam regulam hic ponit Auctor, et ideo: acquiescerent enim Platonici \forte/ praedictae regulae dicentes quod grammatica sicut et scientia continetur in praedicamento relationis, nihilominus continetur in praedicamento qualitatis, et ita secundum eos aliquid continetur in praedicamento qualitatis et in praedicamento relationis. Et ad removendum hunc errorem dat Auctor hanc regulam "Diversorum generum et non subalternatim positorum diversae sunt species et differentiae".

Aliud est genera esse subalterna et aliud esse subalternatim posita. Illa genera sunt subalterna quorum utrumque est et genus et species, ut 'animal' 'lapis'; et dicitur genus subalternatum quasi sub altero genere contentum. Illa sunt subalternatim posita quorum unum continetur sub reliquo ut 'substantia' 'corpus', vel quae sunt excedentia et excessa ut 'animal irrationale' et 'animal gressibile', quia nec omne gressibile est irrationale, ut homo, nec omne irrationale est gressibile, ut reptile. Sunt ergo quaedam genera subalterna et \non/ subalternatim posita, ut 'animal' 'lapis', quaedam subalternatim posita et non subalterna, ut 'substantia' 'corpus', quaedam et subalterna et subalternatim posita ut 'animal' 'corpus'. Igitur diversorum generum et non subalternatim positorum diversae sunt species et differentiae, i.e. non eadem, ita quod haec vox 'diversae' non ponat diversitatem sed removeat identitatem. Aliquod enim genus diversas habet differentias, utpote diversa genera diversas habent differentias.

Sed contra hanc regulam obicitur: 'animal' 'spiritus' sunt diversa genera et non subalternatim posita, et tamen easdem habent differentias, ut spirituum alius rationalis alius irrationalis, animalium aliud rationale aliud irrationale.

Erant qui ad hoc dicerent quod regula illa non erat generalis sed particularis, et illa vera est pro aliquibus generibus sed non pro omnibus. Sed haec solutio nulla est, quia mos est Auctoris semper tales proponere tamquam universales.

Ideo dicunt alii quod diversae sunt differentiae istorum generum 'animal' 'spiritus', diversae significatione licet eadem sint voce, 'rationale' enim prout dicitur de spiritu significat proprietatem quae \in/est spiritui ut in primo subiecto, prout dicitur de animali significat propieta-

tem quae inest animali ut in secundo subiecto. Sed hoc nihil est dictu, quia nec 'rationale' primum subiectum significat r[[e]]ationalitatis nec secundum sicut nec 'album'.

Ideo alii dicunt quod 'rationale' eodem modo dicitur de animali et de spiritu, sed alia rationalitas inest animali et alia spiritui: rationalitas inest spiritui <ut> naturalis potentia, animali prout accidentalis proprietas, et ei inest mediante anima. /3vA/ Sed secundum hoc accidet quod rationalitas non est substantialis proprietas hominis.

Super hanc quaestionem duplex est solutio, una Boethii et alia Aristotelis. Hanc enim solvit Aristoteles in libro Topicorum³⁹ per suppletionem quandam hoc modo "diversorum generum et non subalternatim positorum et non contentorum sub eodem generalissimo diversae sunt etc.", et tunc omnis cessat obiectio, quia animal et spiritus continentur sub hoc generalissimo 'substantia'. Sed quia dicimus quod forma non inest formae, et ideo nullum genus et nulla species habet differentiam nisi genera et species primi praedicamenti, ideo sic exponimus: "diversae sunt differentiae" i.e. non eadem, quia hoc genus 'qualitas' non habet differentiam.

Alia est solutio⁴⁰ quod differentiarum aliae sunt constitutivae, aliae divisivae. Constitutivae sunt illa quae ponuntur in definitione generis, ut \substantia/ corporea; divisivae sunt illae quae dividunt genus in diversas species, ut 'corporeum' 'incorporeum'. Patet quod non intelligit Auctor de constitutivis, quia eadem differentia est constitutiva diversorum generum, \ut spiritus et scientiae 'incorporeum'/. Sed iterum divisivarum duae sunt species, sunt enim differentiae per quas dividitur genus, sunt et differentiae per quas et in quas dividitur genus. Per quas dividitur genus sunt illae quae non continentur sub genere, ut 'rationale' 'irrationale' huius generis 'animal'. In quas dividitur genus sunt illae quae continentur sub genere, ut corporeum aliud animatum aliud inanimatum, animalium aliud volatile aliud gressibile; quia et omne gressibile [[est]] et omne volatile est animal. Intelligit autem Auctor de illis differentiis in quas dividitur genus.

Et sic verum est quod dicit Auctor <1b16> Diversorum generum et non subalternatim positorum i.e. talium quae non sunt excedentia et excessa, et quorum unum non continetur sub altero, supple et non conten-

³⁹ Cf. Arist., *Top.* 1.15.7b19-20, trl. Boethii, AL 5.1: 26.13-14; *verba vero quae sunt et non contentorum sub eodem generalissimo apud Arist. l.c. non extant.*

⁴⁰ *Haec solutio ea esse videtur quae superius Boethii esse dicta est. Quamquam revera non est Boethii, attamen ex eius Cat. 170 quodammodo vires ducit.*

torum sub eodem generalissimo, diversae sunt species et differentiae. Vel aliter sine suppletionem diversae sunt species et differentiae i.e. non eadem, illae sc. in quas dividitur genus. Et exponatur dictio notans diversitatem per exclusionem identitatis. Alia littera in quibusdam codicibus invenitur diversae sunt secundum species differentiae,⁴¹ i.e. diversae sunt differentiae habentes se ad genus tamquam species, i.e. quae continentur sub generibus tamquam species, sc. illae in quas dividitur genus. ut animalis et scientiae i.e. istorum generum animal scientia diversae sunt species et differentiae i.e. non eadem. animalis enim i.e. huius generis 'animal' differentiae sunt ut gressibile volatile bipes i.e. istae differentiae 'gressibile' 'volatile' 'bipes' sunt diversae differentiae huius generis 'animal', non dicit quod istae differentiae in una divisione sufficienter dividant hoc genus 'animal', haec enim differentia 'bipes', ut dictum est, convenit cum utraque aliarum, sed quia quaelibet istarum potest poni in divisione huius generis 'animal', saltem per affirmationem et negationem, ut "animalium aliud bipes aliud non", similiter "aliud gressibile aliud non", similiter "aliud volatile aliud non"; scientiae vero i.e. huius generis 'scientia' nulla earum est divisiva. Et hoc probat dicens neque enim scientia etc. i.e. una scientia non differt ab alia in eo quod est bipes i.e. per hanc differentiam 'bipes'.

<1b20> Subalternorum \vero/ etc. Continuatio: oppositorum generum non possunt esse eadem differentiae, vero i.e. sed subalternatorum i.e. subalternatim positorum (vocat enim subalterna subalternatim posita, ut dictum est) nihil prohibet easdem etc. i.e. aliquas habere possunt easdem. Et hoc probat: superiora enim etc. – si de constitutivis intelligatur hoc erit verum simpliciter, superiora enim praedicantur de inferioribus, ergo de quocumque praedicatur inferius et superius; sed si genus praedicatur de aliqua differentia universaliter, ipsa est constitutiva illius, ergo \cum/ superius genus praedicat[[a]]e/tur de differentia constitutiva, et praedicatur de inferiori, et ita differentia constitutiva superioris praedicatur de inferiori. Quare quaecumque praedicati fuerint differentiae sc. constitutivae eadem erunt subiecti, quaecumque enim sunt constitutivae superiorum sunt constitutivae inferiorum. Sed cum hic non intendat Auctor nisi de differentia divisiva, ideo de divisivis legendum est hoc modo: "vere eadem sunt differentiae divisivae generum subalternatim positorum, <1b22> superiora enim etc.", et ita de quocumque praedicatur inferius et

⁴¹ Cf. A.L. 1 p. 48, ubi duae lectiones notatae sunt, secundum speciem (ab editore recepta) et species.

superius, sed inferius genus praedicatur de differentia divisiva, ergo superius de eadem, ut hoc genus 'substantia' est superius ad hoc genus 'animal', et ideo praedicatur de illo, quia sunt subalternatim posita, per hanc regulam "Superiora de inferioribus praedicantur", sed hoc genus 'animal' praedicatur de suis differentiis 'rationale' 'irrationale', ergo hoc genus 'substantia' praedicatur de eisdem secundum hanc regulam "Quando alterum de /3vB/ de altero etc.", et †ita illud†⁴² sunt divisivae illius generis, quodcumque enim sunt divisivae superioris sunt divisivae inferioris, et non convertitur. Quare quaecumque etc. Si de divisivis legatur, fiet hypallage i.e. quaecumque erunt subiecti erunt praedicati, i.e. omnes divisivae inferiorum erunt divisivae superiorum etc.

<4.1b25> EORUM [VERO] etc.

Finitis necessariis ad sequentium cognitionem aggreditur Auctor principale propositum, et ponit illam denariam divisionem de qua intendit sub hac forma vocum "singulum incomplexorum etc.", ita ut hoc nomen 'singulum' notet collectionem sine distributione, i.e. aliquod de singulis praedicamentis aut significat substantiam aut quantitatem aut qualitatem etc. Non enim fit distributio inter quoslibet sermones incomplexos, sunt enim plurimi qui nec significant substantiam nec continentur in aliquo praedicamento significatione, ut nomen omnia continens et nomen secundae impositionis et nomen ab artificio impositum et nomen appellans enuntiabile, ut 'verum', et 'tempus' 'spatium' et 'locus' 'inane', et omnia extrapraedicamentalia.

Et ideo dicimus quod non est simpliciter sufficiens, multi enim sunt sermones incomplexi qui nec significant substantiam nec aliquam rem praedicamentalem, ut diximus. Sufficiens tamen est quantum ad eius intentionem, tantum enim de illis intendit qui significant res praedicamentales, ut praediximus.

Et quod non sit per opposita videtur. Omne enim nomen significat substantiam cum qualitate et \aliquod/ significat actionem vel quantitatem, ergo idem nomen significat substantiam et quantitatem. Et ideo dicimus quod haec divisio non est per opposita, nihil enim prohibet idem secundum diversas significationes pertinere ad diversa praedicamenta, ut hoc nomen 'corpus' secundum unam significationem pertinet ad praedicamen-

⁴² *An iuxta illud scribendum?*

tum substantiae, secundum ali[qu]am ad praedicamentum quantitatis, significat enim quantitatem continuam sc. soliditatem.

Et nota quod dissimiliter accipitur haec oratio 'significare substantiam' secundum diversas facultates: in grammatica⁴³ enim est significare substantiam cum qualitate significare suppositum locutioni sive sit substantia sive quantitas sive qualitas, et secundum hoc haec dictio 'homo' significat substantiam et hoc nomen 'albedo' et hoc nomen 'chimaera' et omne aliud nomen. Secundum dialecticam illud nomen dicitur significare substantiam quod significat rem per se existentem.

<1b25> Eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur i.e. sermonum incomplexorum singulum i.e. quodlibet aut significat substantiam i.e. aut est sermo significans rem per se existentem, aut qualitatem, aut quantitatem,⁴⁴ aut ad aliquid i.e. relationem, aut ubi i.e. existentiam in loco, aut quando i.e. [[aut]] pertinet ad praedicamentum quando, aut situm esse i.e. pertinet ad praedicamentum positionis, aut habere i.e. pertinet ad praedicamentum habitus, aut facere i.e. actionem, aut pati i.e. passionem. Est autem substantia etc.: exemplificat hoc loco de singulis quae significant substantiam aut qualitatem aut quantitatem aut aliud praedictorum.

Continuatio: Dictum est quod singulum incomplexorum aut significat substantiam aut qualitatem aut quantitatem etc., autem i.e. sed substantia i.e. sermo significans substantiam <1b27> est⁴⁵ ut figuraliter dicatur i.e. manifeste et exemplariter; et tractum est hoc a geometris qui dum de aliquo faciunt doctrinam statim supponunt figuras in exemplum, similiter et Auctor exempla apponit. Vel aliter: ut figuraliter dicatur i.e. figurate i.e. improprie, improprietas enim est in hoc quod sermonem significantem substantiam appellat substantiam, dicitur enim proprie substantia res per se existens, improprie sermo significans substantiam, et ita accipitur hic. ut homo equus i.e. ut sunt sermo significans hominem et sermo significans equum. quantitas i.e. sermo significans quantitatem ut bicubitum tricubitum, qualitas i.e. sermo significans qualitatem ut album nigrum,⁴⁶ ad aliquid i.e. sermo significans relationem ut duplum, maius⁴⁷ i.e. haec nomina

⁴³ De usu grammaticorum cf. Glosam "Promisimus" 47rB ad Prisc. 2.4.18; cf. etiam nostrum fol. 14rB, infra, ad 8b25.

⁴⁴ qualitatem aut quantitatem] quantitatem aut qualitatem Arist.

⁴⁵ est] lineam subductam om. O.

⁴⁶ nigrum non habet Arist.

⁴⁷ maius] mag. O.

‘duplicitas’ ‘maioritas’, ubi vero i.e. sermo distinguens existentiam in loco ut⁴⁸ in loco i.e. haec locutio ‘in loco’, quando autem i.e. sermo designans existentiam in tempore ut heri, situs vero i.e. sermo significans positionem ut iacet, sedet, habere i.e. sermo significans habitum est ut calciatum esse, armatum esse i.e. calciatio et armatio, facere i.e. significans actionem est ut secare, urere, pati i.e. sermo significans passionem est <ut> secari, uri.
 <2a4> Singula igitur etc. Illatio est a praedictis: Bene exemplificavi de sermonibus, et tantum de incomplexis, et nullus incomplexus sermo est affirmatio vel negatio, ergo nullum praedictorum est affirmatio. Et per hoc innuit quod tantum de incomplexis agat. Ergo singula eorum quae dicta sunt ipsa quidem secundum se i.e. per se considerata in nulla affirmatione dicuntur i.e. ex nullo horum per se sumpto \constat affirmatio/, autem i.e. sed horum complexione ad i.e. ordinata coniunctione illorum ad invicem fit affirmatio.

Et quod nullum incomplexum sit affirmatio /4rA/ vel negatio probat syllogismo quodam in secundo modo secundae figurae, hoc sc.: omnis affirmatio vel negatio significat verum vel falsum; sed nullum incomplexum significat verum vel falsum; ergo nullum incomplexum est affirmatio vel negatio. Et hoc est quod dicit <2a7> autem i.e. sed omnis affirmatio videtur vera vel falsa esse, i.e. omnis affirmatio verum vel falsum significat. Hoc quod dicit “videtur” philosophicum temperamentum est; et haec est maior proposito eorum autem etc. i.e. sermonum incomplexorum nulla vera vel falsa sunt i.e. nullum significat verum vel falsum. Conclusio- nem tacet, quia satis ex praedictis datur intelligi. ut homo, album, currit i.e. nullum istorum incomplexorum verum vel falsum significat.

Tria sunt genera incomplexorum quae videntur significare verum vel falsum, sc. verba primae et secundae personae ut ‘lego, -gis’, et verba exceptae actionis ut ‘pluit’, et verba impersonalia ut ‘legitur, curritur’, et dictiones etiam in responsione positae ut cum dicitur ‘Quid est summum bonum in vita? Honestas.’ Dicimus quod locutiones illae sumuntur loco propositionum et verum vel falsum dant intelligi.

<5. 2a11> SUBSTANTIA etc.

Finitis necessariis ad decem praedicamentorum cognitionem orditur Auctor mediam distinctionem quae inscribitur “Praedicamenta” specificata appellatione. Et orditur a praedicamento substantiae, quia ipsum est dig-

⁴⁸ ut] est *sine linea subducta* O.

nus ceteris praedicamentis, cum propter dignitatem contentorum primi praedicamenti, tum propter abundantiam vocabulorum in hoc praedicamento. Digniora sunt autem contenta huius praedicamenti quam alicuius aliorum praedicamentorum, utpote res quae subsunt rebus aliorum praedicamentorum, et sine contentis huius praedicamenti non possunt esse contenta aliorum. Dignius est etiam propter copiam praedicabilium, omnia enim alia praedicamenta carent individuis, et pluraque carent generibus et speciebus et eas circumloquimur orationibus quibusdam; sed in hoc praedicamento sunt sufficienter et genera et species et plurima individua.

Agit Auctor hoc modo de substantia: primo tamquam praemissa hac divisione “substantiarum alia prima alia secunda” describit primam substantiam, deinde secundam; tertio assignat differentiam inter primam substantiam et secundam, quarto absolvit quasdam dubitationes, cum circa primam substantiam tum circa secundam; tandem ponit multa propria [[substantiae ut]] \huius/ universalis ‘substantia’ ut ita perveniat ad proprie proprium substantiae.

Hoc nomen ‘substantia’ multas habet significationes:⁴⁹

Dicitur enim substantia possessio sive pecunia, ut ‘substantia mea deminuta est’, i.e. possessio mea deminuta est. Dicitur etiam substantia suppositum locutioni, ut ‘omne nomen significat substantiam’ i.e. suppositum locutioni. Dicitur etiam substantia actus subsistendi, unde dicitur verbum substantivum significare substantiam. Sed de his tribus acceptionibus nihil ad praesens.

Dicitur iterum substantia res per se existens subiecta accidentibus, et in hac significatione accipitur prout dicitur esse generalissimum in primo praedicamento.

Dicitur etiam substantia sermo significans substantiam, et in hac significatione accipitur cum dicitur ‘substantiarum alia prima, alia secunda’, i.e. “sermonum significantium substantias alius est prima substantia, alius secunda”. Et quod substantia dicatur sermo patet ex verbis ipsius Auctoris qui dicet inferius⁵⁰ “omnis substantia videtur hoc aliquid significare”.

Prima substantia dicitur sermo discrete significans substantiam, ut individuum et oratio constans ex pronomine demonstrativo et nomine appellativo ut ‘hic homo’ ‘hic asinus’. Secunda substantia dicitur sermo com-

⁴⁹ De significationibus huius vocis ‘substantia’ cf. Glosam “Promisimus” 49vB ad Prisc. 2.5.24

⁵⁰ Arist., Cat. 3b10.

muniter significans substantiam, ut genera et species primi praedicamenti 'homo' 'animal' et similia.

Et si fiat talis argumentatio 'omnis substantia est prima vel secunda, sed Socrates est substantia, ergo prima vel secunda', instantia: 'differentia ponitur in definitione speciei, sed haec rationalitas Socratis est differentia, ergo ponitur in definitione speciei'.

Et ideo dicuntur individua primi praedicamenti prima substantia quia ascendentibus [[a generalissimis]] ab individuis ad generalissima primo occurrunt individua; secunda substantia dicuntur genera et species quia secundo occurrunt .

Et est divisio ista superioris per inferiora quoniam \et/ prima et secunda substantia est substantia. Sufficiens etiam est, omnis enim substantia est prima vel secunda. Per opposita non est, nihil enim impedit eundem sermonem esse speciem et individuum, ut hoc nomen 'leo' quod est proprium et appellativum.

Continuatio: Substantiarum alia prima, alia secunda <2a11> autem i.e. sed substantia etc. Secundum praedictum ordinem tamquam praemissa hac divisione describit Auctor primam substantiam dicens prima substantia est quae sc. substantia neque dicitur de subiecto neque est in subiecto. Videtur alterum istorum superfluere, sc. hoc "non esse in subiecto", sufficienter enim dī/xisset "quae non /4rB/ dicitur de subiecto", cum nulla substantia sit in subiecto. Ad hoc dicimus quod hoc "non esse in subiecto" non apponitur ad remotionem alicuius sed ad notandam expressius naturam primae substantiae; loco autem huius nominis 'prima' ponit Auctor tria adverbia: substantia quae proprie quia plerumque hoc convenit propriis nominibus, et principaliter i.e. primo loco occurrentia, et maxime propter maximam eorum suppositionem: subiciuntur enim individua et omnibus generibus et omnibus speciebus primi praedicamenti. Talis substantia neque est in subiecto i.e. non inest alicui accidentaliter, neque dicitur de subiecto <i.e.> non praedicatur de aliquo inferiori nomine et ratione substantiae, ut aliqui homo i.e. aliquod individuum huius speciei 'homo', et aliqui equus i.e. aliquod individuum huius speciei 'equus'; "aliqui" secundum antiquos dictum est, sicut enim dicebant 'quis' vel 'qui', ita 'aliquis' vel 'aliqui'.

<2a14> Secundae autem etc. Descriptioni primarum substantiarum subiungit Auctor descriptionem secundarum substantiarum dicens: secundae substantiae sunt genera et species primi praedicamenti.

Sed cum tantum singularia primi praedicamenti sint primae substantiae et genera et species eiusdem sint secundae substantiae, videtur quod hic terminus 'phoenix' non sit secunda substantia, quia non est genus, quod per se patet, nec est species, quia non praedicatur de pluribus, nec est prima substantia, quia non est singulare, cum non significet discrete; ergo non est substantia.

Ad hoc dicunt quidam quod phoenix est prima substantia, est enim individuum primi praedicamenti et appellat discrete, licet non sit singulare. Sed his manifeste contrarius est Aristoteles. Dicet enim inferius⁵¹ "omnis substantia videtur hoc aliquid significare; in primis quidem substantiis indubitabile est hoc et verum", et per hoc patet quod omnis prima substantia significat hoc aliquid.

Ideo dicunt alii quod phoenix species est, sed non species simpliciter, species sc. naturae, quia naturaliter pluribus debuit convenire, et individuum est fortunae, quia forte evenit quod unum solum habuit appellatum.

Nos dicimus quod hoc nomen/ 'phoenix' est secunda substantia, et supplendum est in descriptione hoc modo: secundae substantiae sunt genera et species primi praedicamenti vel terminus significans substantiam ut genus vel species.

Prima substantia est quam descripsimus, <2a14> autem i.e. sed secundae substantiae sunt species in quibus – "in" pro 'sub', ita ut 'sub' notet inferioritatem, non localem continentiam, ut 'sol est in leone' i.e. "sub leone", similiter "in quibus" i.e. "sub quibus" illae substantiae quae principaliter substantiae dicuntur insunt i.e. primae substantiae hae sc. species et harum specierum genera i.e. et species et genera secundae sunt substantiae, ut aliquis homo i.e. aliquod individuum huius speciei 'homo' in specie quidem est in homine i.e. continetur sub hac specie 'homo', genus vero speciei est animal i.e. hoc genus 'animal' est genus huius speciei 'homo'. <2a17> Secundae ergo etc. Infert a praedictis, quasi dicat: species continens et genus continens primas substantias sunt secundae substantiae, et 'homo' hoc nomen est species et hoc nomen 'animal' est genus; ergo ista praedicabilia 'homo' 'animal' sunt secundae substantiae.

<2a19> Manifestum autem etc. Post descriptionem et primae et secundae substantiae assignatam assignat Auctor differentiam inter secundas

⁵¹ Arist., *Cat.* 5.3b10-11

substantias et non substantias, deinde assignabit differentiam inter primam et secundam.

Haec est autem differentia quod secundae substantiae praedicantur de subiecto nomine et ratione substantiae, et non substantiae non ita praedicantur. Sed hoc videtur esse falsum: 'albedo' enim species praedicatur de hoc inferiori 'haec albedo' nomine et ratione assignata secundum nomen. Quare sic exponi debet: non substantiae, sc. ea quae insunt, non praedicantur de subiecto nomine et ratione, de subiecto \i.e. de nomine fundamenti/ i.e. de eo quod est subiectum proprietatis designatae per ipsum nomen. E[[orum]]\a/ igitur quae insunt [[alia]] \quandoque/ praedicantur de subiecto nomine et non ratione, ut 'album' de Socrate, \quandoque/ [[alia numquam de subiecto]] praedicantur nec nomine nec ratione, ut principalia, sc 'albedo', \numquam et nomine et ratione/. Et hoc est: <2a19> Manifestum est ex his quae dicta sunt i.e. ex exemplis proximo loco positis quoniam eorum quae de subiecto dicuntur necesse est et nomen et rationem praedicari.

Obicitur nobis ex eo quod dicit Aristoteles "nomen eorum quae dicuntur de subiecto praedicatur etc.": ergo ea quae dicuntur de subiecto habent nomina, ergo significantur nominibus; sed nulla significantur nominibus nisi res, vocum enim est significare, rerum autem significari; ergo ea quae dicuntur de subiecto sunt res; sed tantum termini dicuntur de subiecto; ergo termini sunt res.

Nos dicimus quod hoc intransitive legendum est "nomen eorum etc." i.e. ea cum sint nomina praedicantur de subiecto etc., sicut alibi⁵² "creatura salutis" i.e. creatura quae est salus;⁵³ sed hoc magis est contrarium. Dicit enim Aristoteles "\necesse est/ et nomen et rationem praedicari", ergo nomen praedicatur, ergo etiam nomina sunt praedicabilia \necessario/. Exemplificat: /4vA/ <2a21> ut hominis nomen i.e. hoc nomen 'homo' et ratio data secundum illud, sc. haec 'animal rationale mortale', praedicatur de subiecto aliquo homine i.e. de inferiori aliquo homine i.e. de individuo huius speciei 'homo'; quidam enim homo et homo est et animal rationale mortale i.e. haec species 'homo' et ratio data secundum illud praedicatur de aliquo individuo eiusdem speciei. Et est illatio ex praedictis quare et nomen et ratio praedicabitur de subiecto, quasi dicat: quandoquidem verum est quod homo est et homo et animal rationale

⁵² Locum non inveni.

⁵³ salutis – salus] sal. – sal. O.

mortale, ita et hoc nomen ‘homo’ et eius ratio praedicatur de aliquo individuo huius speciei ‘homo’.

<2a27> Eorum quae sunt in subiecto etc. Eorum quae dicuntur de subiecto et nomen et ratio dicitur de subiecto, vero i.e. sed eorum quae in subiecto sunt i.e. nominum significantium proprietates existentes in aliquo vel in aliquibus accidentaliter in plurimis quidem neque nomen neque ratio praedicabitur de subiecto, ut expositum est. In aliquibus autem nomen nihil prohibet aliquando de subiecto praedicari i.e. eorum quae insunt subiectis quaedam nomine praedicantur de subiectis, rationem vero impossibile est praedicari, cum non habeant rationem i.e. definitionem vel descriptionem assignatam substantiali vel naturali,⁵⁴ et tamen exemplificat: ut album i.e. hoc nomen ‘album’ cum in subiecto sit corpore i.e. cum significet proprietatem existentem in subiecto, sc. in corpore, praedicatur de subiecto i.e. de nomine fundamenti. Et hoc probat dicitur enim corpus album i.e. hoc nomen ‘album’ praedicatur de corpore. Hic videtur velle Aristoteles quod minus praedicatur de maiori. Ad hoc dicimus quod large hic accipitur “dici de subiecto” i.e. participari aliquo modo. ratio vero albi i.e. ratio quam habeat hoc nomen ‘album’ numquam de corpore praedicatur, cum nullam habeat rationem, et ita non est locutio nugatoria.

<2a34> Alia vero etc. Assignavit Auctor differentiam inter universalia primi praedicamenti et universalia contenta in aliis praedicamentis, et est talis differentia quod universalia primi praedicantur de subiecto nomine et ratione, universalia aliorum praedicantur de subiecto quandoque nomine et non ratione, quandoque nec nomine nec ratione, numquam et nomine et ratione. Hic assignat convenientiam inter eadem, quae talis est quod \omnia/ universalia [[primi praedicamenti et universalia novem praedicamentorum]] aut dicuntur de subiectis aut sunt in subiectis; universalia primi dicuntur de subiectis, ut praediximus; universalia aliorum insunt subiectis, i.e. termini qui sunt genera vel species copulant vel appellant proprietates quae insunt subiectis i.e. primis substantiis. Per hoc quod dicit Auctor omnia universalia quae sunt praedicamentalia vel esse in primis substantiis vel dici de primis substantiis datur intelligi quod nulla forma inest formae; si enim claritas ines<se> albedini, ergo albedo esset prima substantia, quod falsum est.

Continuatio: Primae substantiae nec sunt in subiecto nec dicuntur de subiecto, <2a34> vero i.e. sed omnia – praedicamentalia supple – alia a

⁵⁴ Cf. *IvA*: Ratio substantiae est definitio vel descriptio assignata substantiali, ut omni generi et omni speciei, vel naturali vel proprie proprio.

primis substantiis aut dicuntur de primis substantiis i.e. praedicantur de primis substantiis aut in subiectis eis sunt i.e. copulant vel appellant proprietates quae insunt rebus illarum. Hoc autem manifestum est i.e. potest esse manifestum ex his quae⁵⁵ per per singula proponentur i.e. per inductionem singulorum, ut animal de homine praedicatur i.e. hoc genus 'animal' praedicatur de hac specie 'homo', ergo de aliquo homine i.e. de aliquo individuo huius speciei 'homo'. Quaecumque enim praedicantur de [[infer]] \super/ioribus et de inferioribus. Et quod praedicetur de aliquo individuo huius speciei 'homo' probat dicens nam si de nullo aliquorum nec omnino de homine i.e. si non praedicatur de individuo huius speciei, non praedicatur de hac specie 'homo'.

<2b1> Rursus etc. Sicut ostendit quod universalia primi praedicamenti dicuntur de primis substantiis, ita ostendit quod universalia novem praedicamentorum insunt substantiis per inductionem exemplorum; et hoc est: Rursus color in corpore est i.e. hoc accidens 'color' est in corpore ut in subiecto ergo in aliquo corpore i.e. in re significata per aliquod individuum huius speciei 'homo'. Et hoc probat a destructione consequentis nam si non i<n aliquo singul>orum corporum i.e. si non est in aliqua re designata per aliquod individuum huius speciei 'homo' nec omni<no> in corpore i.e. non erit in re designata per hoc nomen 'corpus'.

Per hoc quod dicit Auctor "color est in aliquo corpore" sequitur quod aliquod corpus est subiectum coloris, et hoc est contra antiquos, qui soliti sunt dicere "homo est dignissima creaturarum, sed nullus homo; \paries est principalis pars domus, non tamen aliquis paries;/ rationalitas est substantialis differentia hominis, non tamen aliqua rationalitas", similiter "corpus est subiectum coloris, non tamen aliquod corpus". Et recipientibus sic obiebant: Aliquod corpus est subiectum coloris, ergo [[aliquod corpus]] \color/ non potest esse sine illo [[colore]] \corpore/. Debuissent dixisse "ergo [[aliquod corpus]] \color/ non potest esse sine aliquo corpore". Instantia: Aliqua anima exigitur ad esse hominis, ergo [[aliquis homo]] \anima/ non potest esse sine [[illa anima]] \hoc homine/.

Continuatio: <2b3> Quare. A praedictis infert: quandoquidem omnes secundae substantiae dicuntur de primis et omnia accidentia sunt in primis, ergo omnia praedicamentalia \alia/ a primis dicuntur de primis substantiis ut de subiectis /4vB/ aut sunt in eis ut in subiectis. Et hoc probat: ergo

⁵⁵ quae *Arist.*] quod O.

quandoquidem omnia alia aut dicuntur de primis substantiis aut sunt in primis substantiis ergo non existentibus primis substantiis impossibile est esse aliquid aliorum, quia si non sunt appellata individuorum primi praedicamenti non erit aliqua substantia, ergo nec aliqua proprietas. Et hoc probat dicens omnia enim alia a primis substantiis aut de subiectis eis dicuntur aut in subiectis eis sunt i.e. aut praedicantur de primis substantiis aut sunt in rebus primarum substantiarum.

<2b7> Secundarum vero etc. Assignavit Auctor differentiam praedicabilium huius praedicamenti ad praedicabilia aliorum; hoc facto assignat differentiam praedicabilium huius praedicamenti ad praedicabilia eiusdem. Et est haec differentia quod secundarum substantiarum [[alia]] una est magis substantia reliqua, inter primas substantias [[nulla est magis]] nulla est magis substantia quam alia.

Sed huic contrarium videtur ponere Auctor inferius⁵⁶ \dicens/ “Nulla substantia recipit magis et minus”, ergo nulla substantia potest intendi vel remitti, ergo nec secunda. Ad hoc dicimus quod aliter ibi accipitur hoc nomen ‘substantia’ et aliter hic, aliter ibi ista vocabula ‘magis, minus’ et aliter hic. Dici[[mus]]\tur/ enim ibi substantia res per se existens, hic dicitur substantia sermo \substantiam/ significans. Ista adverbia ‘magis’ ‘minus’ prout imponuntur notant intensionem et remissionem, hic autem dicitur substantia magis substantia alia i.e. discretius significare quam alia; et ita et verum est quod ibi dicit quod substantia non recipit magis et minus: non recipit intensionem et remissionem, et verum est quod hic dicitur “substantiarum alia est magis substantia alia” i.e. discretiorem habet significationem alia.

Sed secundum hoc videtur etiam quod inter primas substantias una sit magis substantia reliqua, discretius enim significat hic terminus ‘hic homo’ quam hic terminus ‘hoc animal’, quia nihil dat intelligere hic terminus quod non det intelligere ille, sed non convertitur. Ad hoc dici potest quod nihil dat intelligere hic terminus ‘hic homo’ quod non det intelligere hic terminus ‘hoc animal’, quia quod illud dat intelligi ex vi vocis istud saltem ex demonstratione. Vel dicatur quod Auctor non dicit hoc nisi de illis primis substantiis quae et subiectione et significatione continentur sub specie specialissima, sed hic terminus ‘hoc animal’ sola subiectione continetur sub hac specie ‘homo’, significatione autem continetur immediate

⁵⁶ Arist., *Cat.* 5.3b33

sub hoc genere 'animal', quia addito ei pronomine demonstrativo fit hic terminus 'hoc animal'.

Continuatio. Praemisimus differentiam secundarum substantiarum ad alias, <2b7> vero i.e. sed secundarum substantiarum magis est substantia species quam genus i.e. discretius significat substantiam species quam genus. Et hoc probat: propinquier – et potest hic esse locus vel a simili vel a causa; a simili ut "propinquier" pro "similior" accipiat hoc modo: vere magis est substantia species quam genus propinquier enim etc. i.e. similior i.e. similiorem habet species significationem primae substantiae quam genus. Vel aliter: vere magis est substantia species quam genus, propinquier enim est primae substantiae in ordine praedicamentali primo posita sunt individua, secundo species, postea genera. Secundo argumento probat idem, quoniam maiorem facit notitiam de re species quam genus, ergo magis accedit ad primam substantiam species quam genus. Et hoc est: magis est substantia species quam⁵⁷ genus, <2b8> Si quis enim assignet primam substantiam quid sit i.e. si quis velit certificare de prima substantia quid ipsa sit, evidentius et convenientius assignabit speciem proferens quam genus i.e. magis certificabit proferens speciem quam genus.

Notandum quod dicit Auctor "proferens speciem", ergo species proferitur, sed tantum vocum est proferri et non rerum, ergo species est vox et non res; res enim non proferuntur.

Exemplificat de eo quod dixit: ut aliquem hominem assignando i.e. ostendendo de aliquo homine quid ipse sit manifestius assignabit i.e. certius faciet documentum assignando hominem quam animal i.e. assignando ei hanc speciem 'homo' quam hoc genus 'animal'. <2b12> Illud quidem etc. Tertio probat quod dixit. Maiorem enim habet discretionem species quam genus, ergo magis est prima substantia. Hoc est: Illud quidem i.e. species magis proprium est alicui homini, i.e. minus commune est hoc nomen 'homo', quia neutrum est proprium, hoc autem i.e. genus communius est i.e. pluribus convenit genus quam species. <2b13> Et cum etc. Aliud est exemplum de eodem, et hoc est et cum aliquam arborem reddiderit i.e. si velit ostendere de eo quod hic crescit, quid ipsum sit manifestius assignabit i.e. manifestiorem et certiore faciet doctrinam cum arborem assignabit quam plantam i.e. magis \certificabit/ assignando hanc speciem 'arbor' /5rA/ quam hoc genus 'planta'. Ut enim ait Boethius in

⁵⁷ quam] quod O.

commento, planta est quicquid terrae radicitus adhaeret.⁵⁸ <2b15> Amplius etc. Quarto idem probat hoc modo: primae substantiae dicuntur maxime substantiae, quia maxime supponuntur omnibus aliis; ergo species est magis substantia quam genus, cum magis supponatur aliis species quam genus. Et hoc est: Amplius i.e. amplior et alia est ratio ad idem ostendendum, principales substantiae i.e. primae substantiae eo quod omnibus aliis subiectae sint et alia omnia de his praedicantur i.e. omnes secundae substantiae aut in eis sunt, ut accidentia, ideo maxime dicuntur, quia omnibus aliis subiectae sunt, aut i.e. sed sicut principales substantiae ad omnia alia se habent, sic species ad genus⁵⁹ se habet i.e. sicut primae substantiae supponuntur aliis omnibus, ita species generi. Et hoc probat: subiacent enim species generi, genera namque de speciebus praedicantur, species autem de generibus non convertuntur i.e. non convertitur praedicatio specierum de generibus. Hoc est contra illos qui dicunt minus de maiori praedicari. <2b21> Quare. Infert ex praedictis: quandoquidem talem similitudinem habent species cum primis substantiis, ergo ex his i.e. de numero secundarum substantiarum species genere magis substantia est i.e. certius documentum de substantia facit quam genus.

<2b22> Ipsarum vero etc. Adhuc immoratur Auctor in executione assignationis primarum substantiarum inter se, quod nulla earum est magis substantia quam alia, et gratia consortii primarum substantiarum assignat hoc idem convenire speciebus specialissimis, sc. quod nulla species specialissima est magis substantia alia. Et ita secundarum substantiarum una est magis substantia quam alia, vero i.e. sed ipsarum specierum quaequeque non sunt genera nihil magis alterum altero substantia est i.e. specierum specialissimarum, supple specialissimarum natura et non casu, accidente enim quod nullum animal sit nisi homo, hoc nomen 'animal' erit species, et tunc erit magis substantia quam prius. Bene dico quod nulla species specialissima magis substantia est quam alia nihil enim magis assignabis⁶⁰ de aliquo homine i.e. nullus maiorem faciet notitiam de homine quod ipse sit quam de aliquo equo equum i.e. quam assignando de aliquo equo ipsum esse equum. Similiter autem et principalium substantiarum i.e. primarum substantiarum nihil magis alterum altero substantia est i.e. non

⁵⁸ Falso Boethius laudatur, qui Cat. 186D-187A tantum planta autem [187A] genus est arboris; praedicatur enim planta et de iis quae arbores non sunt, ut de caulibus atque lactucis dicit.

⁵⁹ genus Arist.] genera O.

⁶⁰ magis assignabis Arist.] ma(i) assignab' O.

solum specierum specialissimarum nulla⁶¹ est magis substantia quam alia, sed etiam primarum substantiarum. Et hoc probat: nihil enim magis aliquis homo quam aliquis bos i.e. individuum huius speciei 'homo' non magis est substantia quam individuum huius speciei 'bos'.

<2b29> Merito autem etc. Vocavit Auctor primas substantias individua primi praedicamenti, secundas substantias genera et species eiusdem. Putaret aliquis quod etiam contenta aliorum praedicamentorum essent secundae substantiae. Hoc removet, quoniam tantum genera et species primi praedicamenti indicant \de prima substantia/ quid ipsa sit, et prima substantia praedicatur de illis in quid; quare tantum universalia primi praedicamenti sunt secundae substantiae. Et hoc est: videretur alicui quod universalia novem praedicamentorum essent secundae substantiae, sed secus se habet. Merito post principales substantias i.e. post primas substantias sola aliorum i.e. sola de numero aliorum omnium species et genera primi praedicamenti secundae substantiae dicuntur, "sola" in neutro genere esse debet, quia neutrum concipit masculinum et femininum; et si inveniatur "solae" in feminino genere praecedenti dictioni conformatur, sc. huic nomini 'species', sicut alibi "leges et plebiscita coactae",⁶² sed tamen dicitur minus proprie, quoniam femininum non habet concipere neutrum. Et hoc probat: sola enim haec i.e. genera et species eorum quae praedicantur i.e. de numero eorum quae praedicantur indicant principalem substantiam i.e. praedicatione sua ostendunt de re primae substantiae quid ipsa sit. Per exemplum ostendit quomodo secundae substantiae indicant primas, sed etiam plus ostendit quod secundarum substantiarum una certius facit documentum de prima substantia quam alia, sc. species quam genus, et hoc est enim i.e. quia aliquem hominem si quis assignaverit quid sit i.e. si aliquis assignaverit de aliquo homine quid ipse sit familiarius et manifestius demonstrabit assignando speciem quam genus i.e. certius documentum /5rB/ faciet de re primae <substantiae> quid ipsa sit per assignationem speciei quam per assignationem generis, et manifestius assignando hominem quam animal i.e. manifestiorem faciet doctrinam assignando hominem quam animal. <2b34> Aliorum vero. Bene dico quod secundae substantiae praedicatione sua ostendunt de rebus primarum quid ipsae sint, vero i.e. sed quicquid assignaverit i.e. quicquid aliud a secundis substantiis assignaverit quilibet i.e. ostendit praedicari de illis, sc. de primis substantiis, assignabit extranee i.e. insufficienter et non congrue, velut album i.e. si

⁶¹ nulla] una O.

⁶² Locum non inveni.

quis respondeat hoc praedicabile ‘album’ vel hoc verbum currit vel quodcumque talium reddens, talium sc. quorum praedicatione non ostenditur quid aliquid sit sed quale aliquid vel quantum. Ex praedictis infert: ergo merito hae solae sc. genera et species primi praedicamenti dicuntur secundae substantiae.

<2b37> Amplius. Probat iterum quod species generibus magis sunt substantiae. Primae substantiae ideo dicuntur substantiae quia maxime supponuntur, ergo magis sunt substantiae species quam genera eo quod magis supponuntur aliis quam genera. Et hoc est: Amplius, i.e. amplior potest induci ratio: principales substantiae i.e. primae substantiae proprie dicuntur substantiae eo quod omnibus aliis subiacent generibus, speciebus, accidentibus, ut expositum est; aut i.e. sed sicut primae substantiae ad omnia alia se habent, ita genera et species principalium substantiarum i.e. continentia primas substantias ad reliqua omnia se habent. Et hoc probat: de his enim i.e. de secundis substantiis reliqua omnia praedicantur. Aliquem enim hominem dices esse grammaticum i.e. hoc praedicabile ‘grammaticum’ praedicatur de sermone appellante aliquem hominem, ergo et hominem et animal grammaticum dicis i.e. illud praedicatur de hac specie ‘homo’ et de hoc genere ‘animal’. Similiter autem et in aliis i.e. simile est in aliis exemplis.

<3a7> Commune est autem etc. Assignatis differentiis inter primas substantias et secundas assignat Auctor multa propria substantiae, ut tandem perveniat ad proprie proprium substantiae, et hoc proprium est tale quod substantiae convenit non esse in subiecto.

Hic instabant antiqui qui asserebant separativas esse affirmativas, et hoc inde conati sunt probare: substantiae convenit non esse in subiecto, ergo substantiae potest attribui non esse in subiecto, nulla \proposit/[locutione] potius quam hac ‘substantia non est in subiecto’, ergo hac aliquid attribuitur, ergo haec propositio est affirmativa. Ad hoc dicimus quod substantiae convenit non esse in subiecto, nec tamen potest ei attribui. Dicitur enim aliquid convenire alicui quod potest ei assignari affirmative vel negative. Hoc autem potest assignari substantiae, sed in eius assignatione removetur contrarium.

<3a7> Commune est omni substantiae. Continuatio: per praedicta differt quaedam substantia ab alia, autem i.e. sed commune est omni substantiae non esse in subiecto i.e. omnes substantiae conveniunt in hoc, sc. non esse in subiecto, omnis enim substantia non est in subiecto, i.e. nullus

sermo significans substantiam significat rem quae in aliquo sit accidentaliter. Vel de rebus sic: omni rei tali convenit non esse in subiecto, nulla enim substantia accidentaliter est in aliquo. Et hoc probat per partium enumerationem, hoc modo: nulla prima substantia est in subiecto, nulla secunda, ergo nulla substantia. Et hoc est: principalia namque etc. i.e. prima substantia neque in subiecto est neque de subiecto dicitur.

<3a9> Secundarum vero. Constans est quod prima substantia nec est in subiecto nec dicitur de subiecto, vero i.e. sed constat etiam sic i.e. poterit constare quod nulla substantiarum est in subiecto. Homo enim i.e. haec species 'homo' de subiecto dicitur quidem ut de aliquo homine, in subiecto vero nullo est, non enim in aliquo homine est i.e. haec species 'homo' non significat rem existentem accidentaliter in aliqua re significata per aliquod individuum huius speciei homo. <3a13> Similiter autem et animal etc. Quod ostendit de [[genere]] specie ostendit de genere. <3a15> Amplius. Aliter idem probat, sc. quod nulla substantia est in subiecto, hoc modo: eorum quae sunt in subiecto nomen quidem praedicatur de subiecto, impossibile est autem rationem eorum praedicari de subiecto; sed omnium substantiarum et nomen et ratio dicitur de subiecto; ergo nullae substantiae sunt in subiecto. Ubi debuit hoc concludere generaliter, dicit "ergo substantia non est in subiectis", quoniam idem prius probaverat de primis. Littera patet: Amplius eorum etc.

<3a21> Non est autem. Assignato non esse in subiecto convenire omni substantiae ostendit quod non convenit soli. Dicit quod convenit etiam differentiis substantialibus.

Continuatio: Non esse in subiecto convenit omni substantia, autem⁶³ i.e. sed non est hoc proprium omni substantiae hoc i.e. non esse in subiecto non est proprie proprium substantiae, sed illud sc. non esse in subiecto est differentiae i.e. convenit etiam differentiae quod non sit in subiecto. Si inveniatur "differentia", sic legendum: non est proprie proprium non esse in subiecto, sed differentia est illud quod non est in subiecto i.e. sicut substantia non est in subiecto, ita nec differentia est in subiecto, substantialis dico; bipes enim et gressibile i.e. et haec differentia 'bipes' et haec /5vA/ differentia 'gressibile' de subiecto quidem homine dicitur i.e. de hac specie 'homo', in subiecto quidem nullo est i.e. non est in aliquo accidentaliter. Et hoc probat a maiori: non enim est bipes in homine neque

⁶³ autem] quae O.

gressibile i.e. nulla istarum differentiarum est in homine accidentaliter (de quo magis videtur), ergo in nullo.

<3a25> Ratio quoque.⁶⁴ Dixi quod substantiales differentiae dicuntur de subiecto, et non solum ipsae dicuntur de subiecto, quoque i.e. similiter ratio i.e. definitio vel descriptio data secundum nomen quod est differentia dicitur de eo de quocumque⁶⁵ ipsa differentia praedicatur, ut si gressibile de homine i.e. praedicatur de hac specie 'homo', ratio gressibilis sc. 'aptum natum gradi' praedicatur de homine. Et hoc probat: est enim homo gressibilis.

<3a29> Non vos⁶⁶ conturbent etc. Movet hic Auctor quaestionem et motam solvit. Nulla substantia est in subiecto, ut praedixi; esse in subiecto est esse in aliquo accidentaliter; sed pars substantiae est in subiecto, ut manus in Socrate; ergo pars substantiae non est substantia. Solutio: esse in subiecto est esse in aliquo non sicut eius pars, et ita pars substantiae non est in substantia ut in subiecto.

Non vos, quasi dicat: licet quidam possint conturbari putantes substantiarum partes esse in toto ut in subiecto, non tamen sic est, vero i.e. sed partes substantiarum non conturbent nos i.e. non debent nos conturbare quae ita sunt in toto quasi in subiecto i.e. quae videntur esse in subiecto tamquam accidens in subiecto propter praedictam descriptionem accidentis, i.e. non debetis putare partes substantiarum, cum ipsae sint substantiae, in toto esse tamquam in subiecto, ne forte cogamur fateri eas i.e. partes substantiarum non esse substantias, si dicamus sc. illas esse in subiecto, quia nulla substantia in subiecto est, ut superius ostendimus. Et ostendit quod non sunt in subiecto, nam in subiecto non dicuntur esse quae tamquam <partes> sunt in aliquo, i.e. partes non sunt in toto ut in subiecto.

<3a33> Inest autem etc. Assignavit Auctor quoddam proprium substantiae quod convenit omni sed non soli; convenit enim substantiali differentiae, ut praediximus, sc. non esse in subiecto. Hic aliud assignat proprium, quod nec convenit omni nec soli, sc. praedicari de subiectis univoce. Omnibus non convenit, quia primis non convenit. Soli non convenit, quia convenit etiam substantialibus differentiis.

⁶⁴ quoque] vero O.

⁶⁵ quocumque] q. O.

⁶⁶ vos] nos Arist. *Noster sibi non constat: paullo infra primo vos, deinde nos invenies.*

Continuatio: Non solis⁶⁷ substantiis et differentiis convenit esse in subiecto autem i.e. sed inest substantiis et differentiis i.e. convenit substantiis et differentiis substantialibus omnia ex his i.e. de numero horum omnia praedicari univoce, quaelibet enim de numero istorum universalia praedicantur univoce, i.e. nomine et ratione substantiae. Quod ipse determinat dicens omnia enim ex his i.e. de numero horum quae sunt praedicata i.e. praedicabilia, de pluribus supple, aut de individuis praedicantur, ut species specialissimae, aut de speciebus et individuis, ut genera et speciales differentiae.

<3a36> A principali namque etc. Causam ostendit quare dixerit quod secundae substantiae praedicantur univoce, quia nullum individuum praedicatur de aliquo inferiori.

Ab hoc loco sumunt <***> quidam dicentes quod individuum de nullo praedicatur. \Sed eis contrarius et Porphyrius⁶⁸ dicens “Eorum quae dicuntur alia praedicantur de pluribus, alia de uno solo ut individua”./

Nos dicimus quod individuum praedicatur de uno solo i.e. de uno et non de eius opposito. Hic autem non intendit Auctor nisi de eo quod est praedicari univoce, i.e. nomine et ratione substantiae, et sic individuum de nullo praedicatur. Vel dicatur quod praedicari de aliquo est praedicari de inferiori, et secundum hoc iterum individuum de nullo praedicatur, cum nihil sit inferius individuo. Vel potest dici quod “a” ibi est ordinale, hoc modo: A principali substantia i.e. post primam substantiam nulla est praedicatio i.e. nullum est praedicabile; quod ipse probat dicens de nullo enim subiecto dicitur; saepe enim ‘a’ pro ‘post’, ut ‘iste est a rege secundus’ i.e. post regem.

<3a37/38> Secundarum. Hic ostendit quae praedicantur de individuis tantum et quae de speciebus et individuis. Et hoc est: Secundarum vero substantiarum i.e. de numero secundarum species quidem, specialissimae intellige, de individuis praedicantur, tantum adde; genus autem praedicatur et de specie et de individuis, similiter⁶⁹ autem et differentiae i.e. non solum species et genera praedicantur de subiectis, autem i.e. sed differentiae i.e. substantiales praedicantur de specie et individuis, genus vero et de specie et differentiis et individuis praedicatur.

⁶⁷ solis] *vel* solum O, *compendio ambiguo*.

⁶⁸ Porphyrius] *porp hilius* O. Cf. *Porph., Intr.* 2.17-18 ed. Busse.

⁶⁹ *similiter*] *simpliciter* O.

Continuatio: Non tantum genera et species praedicantur de individuís, sed etiam rationes generum et specierum et differentiarum praedicantur de individuís. Et hoc est: quoque hoc est etiam primae substantiae suscipiunt rationem generum et specierum i.e. rationes generum et specierum praedicantur de primis substantiis, et species generis suscipiunt rationem. Quaecumque. Probat quod rationes generum praedicantur de primis substantiis, quoniam praedicantur de speciebus. Et hoc est: Quaecumque enim de praedicato dicuntur eadem et de subiecto, /5vB/ i.e. quaecumque praedicantur de superiori et de inferiori. <3b1> Similiter autem etc. i.e. rationes differentiarum praedicantur de primis substantiis. Ostendit propter quid induxerit praedicta, sc. quod secundae substantiae et differentiae et earum rationes dicuntur de suis inferioribus: ad probandum sc. quod praedicantur univoce de suis inferioribus; et hoc est: univoca etc. Idem enim erat apud Aristotelem nomen et rationem alicuius praedicari de aliquibus et ipsum praedicari de illis univoce. <3b8> Quare. Infert a praedictis, quasi dicat: Secundae substantiae et differentiae praedicantur de suis contentis nomine et ratione substantiae, et haec est descriptio univocorum. Quare omnia quae sunt ex substantiis, i.e. de numero secundarum substantiarum intellige, et differentiis i.e. de numero differentiarum substantialium dicuntur univoce i.e. praedicantur de inferioribus nomine et ratione substantiae.

<3b10> Omnis autem substantia etc. Hoc loco assignat Auctor primis substantiis significare hoc aliquid ut removeat errorem quorundam habentium de significatione nominis appellativi. Erant enim qui dubitarent nomen appellativum significare hoc aliquid. Ad quod removendum ait: Ita omnes secundae substantiae praedicantur univoce, autem i.e. sed omnis substantia i.e. omnis sermo significans substantiam, tam secunda quam prima, videtur hoc aliquid significare i.e. discrete.

Si quaeratur de hac vocum congerie ‘hoc aliquid’ dicimus quod hoc pronomen ‘hoc’ ibi ponitur materialiter, et est sensus: significare aliquid hoc i.e. significare aliquid demonstrabile hoc pronomine ‘hoc’, ut hoc nomen ‘Socrates’ significat rem quae potest demonstrari ad oculum, hoc nomen ‘Caesar’ significat aliquid quod potest demonstrari ad intellectum, sic ille homo significatur hoc nomine ‘Caesar’, sed hoc nomen ‘homo’ non significat aliquid quod possit demonstrari demonstratione ad oculos vel ad intellectum, quare non significat discrete.

<3b10> Et in primis quidem substantiis i.e. de primis substantiis indubitabile verum est i.e. indubitanter verum est quoniam hoc aliquid significant i.e. rem aliquam numero discretam ab aliis.

Nota quod ait "prima substantia significat hoc aliquid", ergo prima substantia significat, sed sermonum est significare, rerum significari; ergo prima substantia est sermo. Sed ipsa non est nisi individuum primi praedicamenti; ergo individua sunt sermones, et ita non sunt res.

Vere prima substantia significat hoc aliquid, <3b12> individuum enim est quod significatur per primam substantiam.

Sed nobis obicitur: ergo individuum significatur, ergo individuum est res. Ideo antiqui litteram decise legebant, hoc modo: Prima substantia significat hoc aliquid, individuum est enim sc. prima substantia, et id quod significatur per primam substantiam est unum numero.

Nos aliter dicimus hoc nomen 'individuum' quattuor habere significationes. Dicitur enim individuum quod propter sui parvitatem dividi non potest, ut atomus; dicitur individuum quod propter sui duritiam dividi non potest, ut adamas; dicitur individuum sermo discrete significans; dicitur individuum quaelibet res numero discreta, et sic accipitur hic.

Bene dico quod prima substantia significat hoc aliquid, <3b12> individuum enim est et unum numero quod significatur per primam substantiam, i.e. res numero discreta ab aliis rebus.

<3b13> In secundis etc. Ita verum est de primis substantiis quod significant hoc aliquid et non de secundis, vero i.e. sed in secundis i.e. de secundis videtur quidem similiter i.e. sicut de primis significare hoc aliquid sub appellationis figura i.e. propter figuram dictionis quae provenit ex similitudine \significationis/ appellationis quando quis i.e. aliquis dixerit hominem vel animal i.e. protulerit hoc nomen 'homo' vel hoc nomen 'animal' ad aliquid significandum, non tamen est verum, licet videatur non tamen est verum, sed magis quale quid significat i.e. significat substantiam qualitate informatam, neque enim: vere secundae substantiae non significant hoc aliquid, quia non \est/ res numero discreta quae per secundam intelligatur. Et hoc est: non est enim i.e. quia non est unum⁷⁰ i.e. res aliqua discreta quod⁷¹ subest secundis substantiis i.e. quae subiecta sit significationi generis vel speciei, quemadmodum primae substantiae i.e. sicut res

⁷⁰ unum] *lineam subductam om. O.*

⁷¹ quod] quidem O. *Verba squae sequuntur, subest secundis substantiis, non sunt ipsius Aristotelis sed potius paraphrasis eius quod dicit subiectum est.*

aliqua numero discreta subiecta est significationi primae substantiae. Et hoc ostendit dicens sed de pluribus homo et animal dicitur i.e. haec species 'homo' et hoc genus 'animal' praedicatur de pluribus.

<3b18> Non autem etc. Quia dixerat secundas substantias significare quale quid, ideo dicit quod non simpliciter quale quid, sed significant qualitatem determinando subiectum qualitatis. Et hoc est: autem i.e. sed secundae substantiae non simpliciter significant quale quid i.e. non simpliciter significant rem qualem quemadmodum album, sicut hoc nomen 'album'. Quomodo hoc nomen 'album' significet qualitatem disputationi relinquo. Vel dicatur: "album" i.e. albedo. Nihil enim aliud album quam qualitatem i.e. rem qualem, /6rA/ genus autem et species circa substantiam⁷² qualitatem determinant i.e. circa rem primae substantiae, qualem enim quandam substantiam significant i.e. significant substantiam qualitate informatam.

<3b21> Plus autem etc. Dixerat Auctor genus non unum solum habere appellatum et speciem non unum solum, sed et species et genus habet plura. Putaret aliquis quod species tot haberet appellata quot habet genus. Hoc removet Auctor dicens: non aequae multa appellata habet species ut genus, autem i.e. sed plus fit determinatio et plurium fit determinatio in genere quam in specie i.e. per genus quam per specie[[s]]m/ i.e. plurium comprehensio, dicens enim animal plus complectitur quam hominem i.e. aliquis proferens hoc genus 'animal' plura comprehendit quam qui profert hanc speciem 'homo'. Vel, si inveniatur plus in specie quam in genere, sic lege: Dixit Auctor in proximo quod genus et species determinant qualitatem circa substantiam. Putaret aliquis quod aequalem haberent determinationem autem i.e. sed plus est in specie quam in genere determinatio i.e. plus determinat significatio speciei quam significatio generis; quicquid enim dat intelligi genus, dat intelligi species et praeterea substantiales differentias, ut 'homo est animal rationale mortale'. Et hoc probat: dicens enim animal plus complectitur hic quam hominem i.e. aliquis proferens hoc genus 'animal' de pluribus constituit intellectum quam \proferens/ hanc speciem⁷³ 'homo', quoniam confusius significat hoc genus 'animal' quam haec species 'homo'.

Videtur Auctor sibi esse contrarius cum dicat "plus habet species quam genus, plus habet genus quam species". Dicimus quod utrumque

⁷² substantiam] substantias O.

⁷³ hanc speciem] haec specie[[s]]m O.

verum est: plus habet genus quam species in appellatione, quia plura appellat; plus habet species quam genus in significatione i.e. plura intelliguntur in significatione speciei quam in significatione generis.

<3b24> Inest autem etc. Assignatis quibusdam propriis substantiae assignat Auctor aliud proprium substantiae, sc. tale quod substantiae nihil est contrarium.⁷⁴ Contraria sunt quae sub eodem genere posita maxime differunt, ut album – nigrum. Sed nullus homo tantum differt ab asino quin tantum differat a capra, ab equo; et sic constat quod nulla substantia substantiae est contraria. Sed nec non convenit soli substantiae, convenit etiam quantitati et relationi et pluribus qualitatibus. Et hoc est: non solum praedicta conveniunt substantiae, autem i.e. sed inest substanti[ae]is nihil illis esse contrarium. Et hoc probat, quia primae substantiae non est aliquid contrarium nec secundae; ergo nulli substantiae est aliquid contrarium. Et hoc est: vere substantiae nihil est contrarium, enim hoc est quia primae substantiae nihil erit contrarium, ut alicui homini nihil est contrarium \i.e./ ut individuo huius speciei ‘homo’ nihil est contrarium. Et hoc non tantum convenit primae substantiae at i.e. sed nec homini nec animali nihil est contrarium. Superfluit una negatio more graeco, i.e. nec huic speciei ‘homo’ nec huic generi ‘animal’/ aliquid est contrarium, et ita secundis substantiis. Non est autem hoc substantiae proprium i.e. hoc non convenit soli substantiae sed e[s]t<iam> multorum aliorum i.e. convenit multis aliis ut quantitati. Et prius exemplificat de continua quantitate, postea de discreta: bicubito enim i.e. bicubitioni nihil est contrarium, et non solum continua quantitas non habet contrarium, at vero nec decem i.e. nec denario nec alicui talium aliquid est contrarium. Sed etiam nulla discreta quantitas habet contrarium nisi quis forte multa paucis dicat esse contraria \vel magna parvis/ i.e. nisi aliquis dicat multitudinem paucitati esse contrariam. Sed hanc opinionem praecedit \alia/, ut multa et pauca dicantur contineri in praedicamento quantitatis, sed hoc improbabit Auctor inferius; determinatorum vero nullum nulli est contrarium i.e. substantiarum et quantitatum de quibus determinatum est nullum alii contrarium est; negatio abundat.

<3b33> Videtur autem etc. Assignaverat Auctor quaedam propria substantiae, hic aliud assignat, ut tandem perveniat ad proprie proprium substantiae. Et est hoc proprium tale: substantia non recipit magis et minus. Istud potest convenire et⁷⁵ rebus et praedicabilibus: res non potest

⁷⁴ contrarium] contraria O a.c.

⁷⁵ Vox post et inserta & erasa esse videtur.

recipere magis et minus, i.e. non potest intendi et remitti; praedicabile non recipit magis et minus, i.e. non recipit has adverbiales determinationes 'magis' 'minus'.

Sed videtur contrarius sibi esse Auctor, cum dixerit superius⁷⁶ "una substantia magis est substantia quam alia". Ad hoc dicimus quod non est, quia proprie /6rB/ retento hoc nomine 'substantia', substantia non recipit magis et minus, i.e. non potest intendi et remitti. Sed dictum est substantiam magis esse substantiam quam aliam i.e. discretius significare; hoc autem non est proprie proprium substantiae, convenit enim quantitati et quibusdam relativis ut 'pater' 'filius' et similibus.

Et hoc est: Non solum praedicta videntur convenire substantiae autem i.e. sed substantia videtur non suscipere magis et minus i.e. non intenditur et remittitur, sive non suscipit has determinationes 'magis' 'minus'. <3b34> Dico. Ne videretur sibi esse contrarius, ideo determinat dicens Dico autem hoc i.e. substantiam non recipere magis et minus non quia i.e. non ideo quod substantia sit non magis vel minus⁷⁷ a substantia i.e. quam alia substantia, sed quoniam unaquaeque substantia i.e. omnis sermo significans⁷⁸ substantiam hoc ipsum quod est i.e. in propria significatione retentum (improprie enim dicitur cum dicitur "species est magis substantia quam genus") non dicitur cum magis et minus i.e. non recipit has adverbiales determinationes 'magis' 'minus'. Et quod nulla substantia recipiat magis et minus probat a partibus. Et hoc est: ut haec substantia homo non dicitur cum magis et minus i.e. hoc praedicabile 'homo' non praedicatur cum 'magis' et cum 'minus', neque ipse a se nec alter ab altero i.e. nullus homo est magis homo quam ipse fuerit vel quam alius homo sit. Et hoc est quod dicit non est enim alter altero magis homo i.e. unus non est magis homo quam alius, quemadmodum album i.e. sicut unum album est altero magis album. Sed non solum unum album est magis album altero albo, sed etiam unum album nunc est magis vel minus \album/ quam ipsum fuerit. Et hoc est: sed et ipsum a se magis et minus dicitur. Et inde supponit exempla ut corpus cum sit album, magis nunc dicitur esse album quam prius, et cum calidum sit, magis vel minus dicitur calidum. <4a5> Substantia etc. Ita accidentia praedicantur cum 'magis' et cum 'minus', vero i.e. sed substantia non dicitur, supple cum 'magis' et cum 'minus', neque enim homo nunc magis dicitur homo quam prius neque aliorum quicquam quae sub-

⁷⁶ Arist., *Cat.* 5.2b7

⁷⁷ magis vel minus] ma vel minor O.

⁷⁸ significans] distinguens O.

stantiae sunt i.e. neque aliqua aliarum substantiarum. <4a8> Quapropter. Infert ex praedictis quod nulla substantia recipiet magis et minus.

Nota quod quidam dicunt quod omne nomen est comparabile per 'aeque' sed non omne per 'magis' et per 'minus'. Inconvenienter dicitur secundum illos 'ille est magis homo quam ille' vel 'minus'. Quidam dicunt quod convenienter sed falso. Utrum dicatur nihil refert.

<4a10> Maxime autem etc. Assignatis multis propriis substantiae assignat proprie proprium substantiae, quod tale est: substantiam esse susceptiblem contrariorum. Contraria sunt quae contrarios habent effectus. Contra hoc movebit Auctor quaestionem de oratione et opinione, et motam solvet.

Sed obicitur: Socrates est susceptibilis contrariorum et est susceptibilis huius albedinis quae in eo est; ergo est susceptibilis alicuius nigredinis. Videtur quod huius quae est in Platone; ergo est susceptibilis huius albedinis, et ita albedo posset permutare subiectum. Ad hoc dicimus quod cum dicitur "substantia est susceptibilis contrariorum" de praedicabili intelligendum est, i.e. sermo significans substantiam, i.e. de termino significante substantiam possunt praedicari contraria, ut 'album' 'nigrum' de Socrate potest praedicari.

Item, substantia est susceptibilis contrariorum, ergo potest suscipere contraria; et ita Socrates potest esse albus et niger, quod non concedimus. Solutio: Dicimus quod ibi incidit fallacia compositionis et divisionis. Substantia est susceptibilis contrariorum, i.e. est susceptibilis unius contrariorum, postea alterius, non tamen potest suscipere contraria.

Continuatio: Praedictae proprietates conveniunt substantiae, <4a10> autem i.e. sed maxime proprium substantiae videtur esse quod cum sit unum et idem numero i.e. manens eadem substantia erit susceptibilis contrariorum. Et hoc convenire solis substantiis ostendit removendo hoc ab aliis: Et in aliis quidem quaecumque non sunt substantiae non habebit quisquam quid proferat i.e. non habebit quid obiciat, quod cum sit unum et idem numero quod est susceptibile contrariorum i.e. sine sui essentiae mutatione possit suscipere contraria, velut color i.e. ut de colore manifestum est quod unum et idem numero non erit album et nigrum i.e. numquam /6vA/ idem color erit albus et niger.

Si obiciatur “Qui color albus erat, nunc est contrarius albo”, solutio: “qui” i.e. “in quo” etc.

<4a15> Neque eadem actio cum sit una numero erit prava et [[bona]] studiosa similiter i.e. eadem actio non erit prava et bona.

Sed sic contra pono quod iste ead at templum bona intentione, sed in itinere subrepat ei mala cogitatio ita quod malo fine terminat iter suum; illa totalis actio mala est et bona, et ita aliquid quod non est substantia suscipit contraria. Solutio: Concedi potest quod actio illa mala est et bona, sed improprie dicitur actio bona quia efficit subiectum bonum, mala quia efficit subiectum malum.

Et hoc est: Vere non est instantia in praedictis, autem i.e. sed similiter et in aliis, quae non sunt substantiae non erit instantia; vero i.e. sed/ substantia cum sit unum et idem numero erit capax contrariorum i.e. susceptible contrariorum, ut quidam homo i.e. res discrete significata per aliquod individuum huius speciei ‘homo’, cum unum et idem numero sit, ut expositum est, aliquando fit albus, aliquando niger, et ita suscipit contraria, et calidus et frigidus et pravus et studiosus i.e. quandoque bonus, quandoque malus etc. <4a21> In aliis autem a substantiis nullum⁷⁹ aliquid tale videtur i.e. nihil simile invenitur, sc. quod cum sit unum et idem numero, quod possit suscipere contraria, nisi quis forte instet, i.e. nisi quis velit instantiam inducere dicens opinionem et orationem huiusmodi esse, i.e. talia quae possint suscipere contraria. Istae enim videntur suscipere contraria: oratio enim et opinio manens idem modo est vera, modo falsa, ut Socrate sedente haec est vera ‘Socrates sedet’, eo stante eadem est falsa.

Ad hoc una est solutio quod ista ‘verum’ ‘falsum’ circa orationem non sunt contraria. Quod sic probamus: sit hoc nomen ‘Socrates’ nomen stantis et sedentis, ista erit vera et falsa ‘Socrates sedet’.

Alia est solutio quod nulla proprietas inest orationi, et ita nulla contrarietas, sed improprie dicitur esse vera quia significat verum, falsa quia significat falsum.

Tertiam ponit Auctor solutionem quod nihil quod non sit substantia secundum sui mutationem suscipit contraria, et ita oratio secundum sui mutationem non suscipit \contraria/, sed secundum mutationem substantiae; prout enim se habet res, vera vel falsa est oratio, si enim sedeat Socrates vera est haec ‘Socrates sedet’, si non, falsa. Hic expressa est auctori-

⁷⁹ nullum] null() O compendio ad nullum & nullis ambiguo; nullis Arist.

tas quod oratio non est corpus. Si enim oratio esset corpus, nulla esset haec instantia ab Auctore posita.

Et hoc⁸⁰ est: Vere potest esse obiectio, <4a23> eadem enim oratio et idem visus i.e. idem intellectus vel eadem opinio verum et falsum videtur esse, veluti haec Socratem sedere vera est, eo surgente falsa erit. Similiter autem et de visu, i.e. de intellectu similiter potest obici, enim i.e. quia si quis putet i.e. opinetur vere aliquem sedere i.e. vero intellectu comprehendat aliquem sedere eo surgente falsum opinabitur i.e. eidem falsum videbitur habere intellectum habenti⁸¹ de eo i.e. de eodem eandem opinionem – eandem specie non numero. <4a28> Si quis tamen. Ita oratio et opinio non suscipiunt contraria sed si quis hoc suscipiat quod suscipiant contraria, tamen in modo differt i.e. differentia est in modo suscipiendi contraria inter substantiam et orationem [[vel]] \et/ opinionem, substantia enim secundum sui mutationem suscipit contraria, oratio vero vel opinio \non/ secundum mutationem sui sed substantiae.

Continuatio: differentia est in modo suscipiendi, nam ea <4a29> quae in subiectis sunt i.e. quae sunt subiecta i.e. substantiae ipsa mutata i.e. ipsa secundum sui mutationem susceptibilia <sunt> contrariorum; frigidum enim de calido factum mutatum est /6vB/ alterum enim i.e. alteratum factum est, et nigrum ex albo et studiosum ex pravo. Et ne haec mutatio intelligatur circa rei essentiam, ostendit quod intelligi debet circa formam, non enim res alba alia est quam ipsa fuerit quando fuit nigra, sed secundum formam alterata. <4a31> Similiter autem et in aliis unumquodque mutationem <suscipiens> \est/ susceptibile contrariorum i.e. quaelibet substantiarum est susceptibilis contrariorum.

<4a34> Oratio autem et opinio. Ita proprium est substantiae suscipere contraria, autem i.e. sed oratio et opinio <ipsa> – huiusmodi oratio alibi invenitur “virga tua et baculus tuus ipsa etc.”;⁸² illae enim duae dictiones ‘oratio’ et ‘opinio’ non sunt de oratione sed praecedunt, ut locum habeat relativum pronomen quod supponit verbo – ipsa quidem immobilia omnino per se, cum vero res mota sit aliquando quidem vera aliquando falsa fit i.e. secundum mutationem rei quandoque est vera, quandoque falsa. Similiter autem et in opinione sc. quod modo falso intellectu comprehendimus rem, modo vero secundum rerum mutationem. <4b2> Quapropter. Ex praedictis infert, quasi dicat: Nihil aliud a substantiis est

⁸⁰ hoc] *vel potius* haec O.

⁸¹ habenti] ha. O.

⁸² Psalmi 22.4

susceptibile contrariorum secundum sui mutationem. Quapropter solo modo proprium est substantiae quod secundum suam mutationem capabilis est contrariorum i.e. susceptibilis contrariorum.

<4b4> Si quis autem etc. Aliam ponit Auctor solutionem et veriolem. Si quis tamen \hoc recipiat/, improprie dicitur oratio vera vel falsa i.e. significare verum vel falsum. Et hoc est: Vere oratio non suscipit contraria, autem i.e. sed si quis hoc recipiat dicens orationem et opinionem esse susceptibilia contrariorum, non tamen est hoc verum. Et hoc ostendit: oratio namque et opinio non in eo quod ipsa aliquid recipiant i.e. non in participatione alicuius proprietatis quam suscipiant contrariorum susceptibilia esse dicuntur, sed ideo quod circa alterum aliqua passio i.e. alteratio facta sit circa alterum i.e. circa substantiam. Oratio enim, licet modo sit vera modo falsa, non suscipit contraria. Dicitur enim <o>ratio vera vel falsa quia significat verum vel falsum, hoc autem significare verum et significare falsum non sunt contraria, nam in eo quod ipsa res, sc. res significata per orationem, i.e. ipsum enuntiabile significatum oratione est i.e. est verum aut non est i.e. est falsum, in eo oratio vera aut falsa dicitur, non in eo quod ipsa susceptibilis sit contrariorum i.e. non in eo quod proprie suscipiat contraria. Hic expressam habemus auctoritatem quod formae non inest forma. Simpliciter autem, i.e. generaliter a nullo i.e. a nulla proprietate neque oratio movetur neque opinio i.e. nec oratio nec opinio mutatur secundum participationem alicuius proprietatis; superfluit una negatio. Quapropter non erunt susceptibilia contrariorum, cum in eis i.e. circa orationem et opinionem nulla passio facta sit i.e. nulla alteratio, verum pro sed substantia in eo quod est contraria recipiat in hoc susceptibilis dicitur contrariorum. <4b14> Languorem enim etc. et unumquodque talium i.e. aliquod talium, quodcumque ipsum sit, suscipiendo contrariorum esse susceptibilis dicitur i.e. suscipiendo unum contrariorum potest suscipere reliquum. <4b17> Quare etc. A praemissis est illatio: Quandoquidem omni substantiae et soli convenit esse susceptibilem contrariorum, quare proprium erit substantiae, cum unum et idem sit numero, secundum suam mutationem contrariorum susceptibilem esse. Et haec de substantia quidem dicta sint.

<6.4b20> <Q>UANTITATIS AUTEM etc.

Tractatui de substantia continuat Auctor tractatum de quantitate. Sed videtur Auctor esse perturbator ordinis, quia cum substantialia sint digniora accidentalibus, et omnis substantialis proprietas sit qualitas, praemit-

tendum erat de qualitate antequam de quantitate. Quae utique ratio ad hoc sufficeret; sed in contrarium validiores faciebant rationes. /7rA/

Quaedam sunt communia substantiae et quantitati, quia sicut substantiae nihil est contrarium, ita nec quantitati; sicut substantia non intenditur vel remittitur, similiter et quantitas. Et propter haec communia sine ullo intermedio agit post substantiam de quantitate.

Item, in tractatu substantiae posuit Auctor quaedam dubia an continentur in praedicamento quantitatis an in alio, et ideo, ne diu suspendatur auditor, agit de quantitate, ut per descriptionem quantitatis pateat illa non esse quantitates.

Item, aliqua species quantitatis est sub qua invenitur omnis res quam cito ipsa est, et nulla talis est qualitatis, ut numerus. Quam cito enim aliquid est, est unum vel plura. \Hoc / idem [[ait]] \dicit/ Boethius in commento sub hac forma vocis: “Quam cito aliqua res est, est unum vel plures”.⁸³ Quidam ab his verbis talem sensum eliciebant: “Quam cito res est, est unum, ut simplex; est plures res, ut composita”, et ita aliquid est plures res, et sic aliquid est suae partes. Nos sic dicimus: “Aliqua res est unum” i.e. aliquis terminus unum solum habet appellatum, ut hoc nomen ‘Socrates’; aliquis terminus plura habet appellata, ut ‘populus’.

Item, propter dignitatem numeri; ut ait Macrobius,⁸⁴ cogitationi nostrae ab inferis ad superos meanti prima incorporalitatis⁸⁵ invenitur perfectio in numeris.

Agit Auctor de quantitate hoc ordine: primo bimembrem ponit quantitatis [[descript]]\divis/ionem, secundo iterum bimembrem, tertio prosequitur membra prioris [[des]]divisionis, quarto secundae divisionis, quinto ponit quaedam dubia inter quantitates, et illa removet quoniam non sunt quantitates, sexto et ultimo ponit multa propria quantitatis, ut tandem perveniat ad proprie proprium quantitatis, et in executione proprie proprii terminat tractatum de quantitate.

83 Cf. Boeth. *Cat.* PL 64: 201D “Omnia quaecumque sunt, simul atque sunt in numerum cadunt. Omnis enim res aut est una, aut plures.”

84 Macrobius, *Comm. in Somnium Scipionis* 1.5.4: haec est igitur communis numerorum omnium plenitudo, quod cogitationi a nobis ad superos meanti occurrit prima perfectio incorporalitatis in numeris.

85 incorporalitatis O a.c.] incorporelitis (!) p.c.

Continuatio: Substantiarum alia prima, alia secunda, <4b20> autem i.e. sed quantitatis aliud continuum, aliud discretum i.e. quantitatum alia continua, alia discreta.

Videndum est quid sit continua quantitas, quid discreta, utrum haec divisio sit sufficiens et per opposita, et utrum quaedam vocabula congrue in divisione sint posita.

Continua quantitas est cuius partes sibi cohaerent, sive cuius partes copulantur ad communem terminum; discreta quantitas cuius partes non cohaerent, ut numerus. Vel aliter: continua quantitas est quae exigit cohaerentiam partium \appellatorum subiecti/, discreta quantitas est quae exigit discohaerentiam partium \appellatorum subiecti/. Sed secundum hoc esset instantia in tempore, ut tempus quod inest animae, quae nullas habet partes. Ideo prior descriptio generalior est.

Non est sufficiens, quia punctum, unitas, elementum, instans, simplex locus sunt simplices quantitates nec continuae nec discretae.

Ad hoc sunt qui dicant quod et unitas et quaelibet aliarum est discreta quantitas, quia nullas habet partes aliqua illarum; et cum nullas habeat partes eius non copulantur ad communem terminum.

Alii dicunt quod punctum non est quantitas sed est quiddam habens suum esse per se; unitas non est quantitas sed qualitas; ‘simplex tempus’, ‘elementum’, ‘simplex locus’ sunt nomina sine rebus, quia et omne tempus et omnis vox⁸⁶ et omnis locus est compositum.

Nostra est solutio quod hic dividatur non hoc universale ‘quantitas’ sed composita quantitas. Et [est] praeintelligenda est alia divisio talis: quantitatum alia simplex, alia composita; \et iterum:/ compositae quantitatis alia continua, alia discreta. Sicut alibi⁸⁷ Aristoteles proponit “alia particularis, alia singularis, alia talis”, praeintelligitur haec “Propositionum alia categorica, alia hypothetica”, et iterum: categoricarum alia talis, alia talis. Et Porphyrius: “Differentia est qua abundat species a genere”,⁸⁸ praeintelligitur “Differentiarum alia accidentalis, alia substantialis”, et iterum: substantialis differentia est qua abundat etc. Mos est enim auctorum elliptice loqui.

⁸⁶ vox] u(niversa)l(is) O, ut videtur.

⁸⁷ Cf. Arist., *APr.* 1.1.24a18

⁸⁸ Porphyrius, *Introductio* 10.22-11.1 Busse

Videtur quod minus grammatice facta sit haec divisio “quantitatis aliud continuum, aliud discretum”. Est enim regula “Quotiens fit divisio per nominativos et genitivum, debet genitivus esse numeri pluralis vel genitivus nominis collectivi \singularis/”; sed hic genitivus ‘quantitatis’ nec est pluralis nec genitivus nominis collectivi; ergo ponitur ibi improprie. Item, alia est regula “Quotiens fit divisio per genitivum et nominativos, debent dividenda conformari diviso in genere”, ut “aquilae devolant /7rB/ haec ab oriente, illa ab occidente”;⁸⁹ ergo cum dividenda hic ponantur in dissimilitudine generis cum diviso, erit incongrua illa divisio.

Ad hoc dici potest quod “quantitatis” pro ‘quantitatum’, “aliud” pro ‘alia’ ponitur, et est hoc:⁹⁰ “Quantitatum alia continua, alia discreta”. Vel dicatur exquisitius quod loquitur Auctor elliptice, et supplendum est sic: Subiectorum quantitatis aliud est continuum, aliud discretum. Et ita quantitatis etc.

<4b21> Et. Posita una divisione quantitatis ponit hic Auctor aliam, quae talis est: quantitatum alia habet positionem in partibus, alia non habet.

Primo videndum est de quibusdam quae conveniunt quantitati, ut hoc viso pateat quibus convenient membra praedictae divisionis. Siquidem quantitatum alia habet cohaerentiam in partibus, alia discretionem; item quantitatum alia habet permanentiam in partibus, alia successionem, – combinentur membra huius cum membris illius hoc modo: Quantitatum alia habet permanentiam et cohaerentiam in partibus, ut linea; alia permanentiam et discretionem, ut numerus; alia successionem et cohaerentiam, ut tempus; alia successionem et discretionem secundum quosdam, ut oratio. Hi sunt illi qui dicunt quod una pars orationis non cohaeret alii, desinit enim esse cum desinit proferri; quod autem \oratio/ sit discreta quantitas videbitis inferius. Primum membrum huius divisionis convenit primo membro praedictae divisionis, illa enim quantitas quae habet permanentiam et cohaerentiam in partibus habet positionem in partibus; illa quae habet permanentiam et discretionem vel successionem et cohaerentiam vel successionem et discretionem dicitur non habere positionem in partibus.

Quin haec divisio sit sufficiens et per opposita non est dubium; omnis enim \divisio/ facta per affirmationem et negationem sufficiens est et per opposita. Sufficiens est quia de quolibet est vera affirmatio vel negatio. Per

⁸⁹ Locum non inveni. devolant] devo. O.

⁹⁰ hoc] haec O.

opposita est quia de nullo eodem sunt vera affirmatio et negatio. \Superioris per inferiora non est quia negatio sub nullo continetur, immo excedit omnem affirmationem./

Hic autem intendit Auctor de septem quantitatibus, sc. de linea, superficie, soliditate, tempore et loco, numero et oratione. Et in hoc differt praesens divisio a praedicta quod prima quinque continentur sub primo membro praedictae divisionis, ut linea, superficies, soliditas, tempus et locus sub continua quantitate, numerus et oratio sub discreta. ista divisio aequius partitur haec, ut linea, superficies, soliditas et locus continentur sub habentibus positionem in partibus, tempus, numerus et oratio sub non habentibus. Et sic una includit aliam et includitur ab eadem.

Et hoc est: Quantitatum alia continua, alia discreta, <4b21> et i.e. etiam quantitatum aliud constat ex habentibus positionem in partibus, aliud ex non habentibus. Si hoc adverbium “non” determinat hanc dictionem “habentibus”, erit instantia in simplicibus quantitatibus; si determinat hoc verbum “constat”, nulla erit instantia. <4b22> Est autem. Exemplificat Auctor de prima divisione et secundo membro ipsius ostendens quae quantitas sit discreta: Est autem discreta quantitas ut numerus et oratio.

Quaeritur quare discretam quantitatem praeposuit Auctor continuae in exemplorum suppositione, cum continuum praeposuerit in divisione. Ad hoc dicimus quod quantitas continua uno⁹¹ respectu dignior quam discreta, ideo praepositur discreta in divisione. Iterum, quia quantitas discreta dignior est quam continua alio respectu, ideo praepositur illi in exemplorum suppositione. Vel alia causa quia pauca erant dicenda de discreta quantitate, ideo prius se expedit de illa.

<4b23> continuum. Exemplificat de continua quantitate: continua vero quantitas ut linea, superficies, corpus. Nota quod hoc nomen ‘corpus’ aequivocum est, sc. ad subiectum proprietatis et ad proprietatem quae in illo est, sc. ad quantitatem quae dicitur soliditas, quae⁹² sc. consideratur in trina corporis dimensione, /7vA/ sc. longitudine, latitudine, spissitudine. Non solum praedicta tria sunt continuae quantitates, autem i.e. sed amplius praeter haec i.e. praeter praedicta sunt continuae quantitates tempus et locus. Ultimo enumerat ista \Auctor/; quia dubium est quomodo ipsa dicantur esse quantitates.

⁹¹ uno] una O.

⁹² quae] quod O.

<4b25> Partium etenim. Enumeratis discretis quantitibus praemittit Auctor de numero, quia dignior est ceteris quantitibus; unde propter eius privilegium prius egit Auctor de quantitate quam de qualitate.

Cuius gratia videndum est <i> quid sit numerus et <ii> quare aggregetur discretis quantitibus et <iii> qualiter fiat commensuratio secundum numerum.

<i> Sunt qui dicant quod omnis numerus est plura. Et hoc nituntur probare tum auctoritatibus tum rationibus.

<1.1> Primo auctoritate Boethii qui in Arithmetica sua ait "Numerus est collectio unitatum" i.e. unitates collectae; sed omnis talis collectio est plura, et ita numerus est plura. Et alibi "Numerus est multitudo ex unitatibus perfusa".⁹³

<1.2> Item aiunt esse improbable aliquid esse quod est fere simplex et eius unam partem esse in oriente, aliam in occidente, quod accidet si dicatur aliquid esse ex unitate orientis et unitate occidentis.

<1.3> Item est improbable quod aliquid fuerit quod numquam fuit verum esse, et quod aliquid fuerit quod in nullo instanti fuit; quod secundum hoc accidet, quia binarius ille qui consistit ex unitate Adam et unitate Noe fuit, et tamen in nullo instanti, et numquam fuit verum ipsum esse.

<1.4> Item aiunt non posse fieri unum ex unitatibus Socratis et Platonis, sicut nec ex ipsis unitis potest fieri unum; non enim est \maior/ affinitas inter unitates quam inter \ipsa/ unita.

<2.1> In primis contrarius est eis Aristoteles. Dicit enim quod numerus est discreta quantitas, ergo quantitas; ergo forma, et ita aliquid.

<2.2> Item, istae quinque unitates sunt res huius speciei specialissimae "unitas"; ergo sunt res eiusdem speciei specialissimae; ergo non differunt specie. Econtra: istae duae unitates sunt res huius speciei specialissimae "binarius", et illae tres unitates sunt res huius speciei specialissimae "ternarius"; ergo sunt res diversarum specierum, ergo differunt specie. Et ita differunt et non differunt specie. Secundum hoc etiam unitas et numerus erunt paria, quia quaecumque sunt subiecta unitatis sunt subiecta numeri et econverso.

⁹³ perfusa] profusa *quamvis mallet, scribere non sum ausus cum perfusa bis infra repeti vidissem*. Cf. Boeth., *Arithm.* 1.3: Numerus est unitatum collectio, vel quantitatis acervus ex unitatibus profusus

<2.3> Item, sumpta a rebus eiusdem speciei \specialissimae/ non ex toto sunt opposita nisi forte gratia consignificationis; sed ista ‘duo’ ‘tria’ sumuntur a rebus huius speciei ‘unitas’; ergo non ex toto sunt opposita.

<3> Dicimus itaque quod numerus est aliquid.

<Ad 1.1> Ad primo obiectum dicimus quod numerus est collectio unitatum, i.e. numerus est quiddam constans ex unitatibus collectis. Et quod ita exponenda sit illa auctoritas patet, quia si sic dicamus “Numerus est collectio unitatum”, ergo ista collectio unitatum quarum una inest Socrati, alia pedi Socratis, est numerus; sed omnis numerus est in aliquo vel in aliquibus; cui autem vel quibus ille numerus [[numerus]] insit non erit assignare secundum nos, qui non concedimus connumerationem inter partem et totum nisi in vocibus. Similiter “numerus est multitudo ex unitatibus perfusa” i.e. quiddam constans ex multitudine unitatum perfusa, sicut ibi “syllaba est comprehensio litterarum” i.e. quiddam constans ex litteris comprehensis.

<Ad 1.2> Ad secundo obiectum dicimus quod non est inconueniens aliquid fere simplex esse cuius pars est in oriente, alia in occidente; immo aliquid omnino simplex est quod non est in minori loco quam in mundo, /7vB/ ut unitas quae inest mundo, et pluralitas⁹⁴ quae inest orienti et occidenti est simplex quid, nec est in minori loco quam in oriente et occidente.

<Ad 1.3> Ad tertio obiectum dicimus quod utique improbable est aliquid fuisse quod in nullo instanti fuit, non enim concedimus quod aliquid binarius fuerit ex unitate Adam et unitate Noe, et proprie posito hoc nomine ‘duo’ haec falsa est ‘Adam et Noe fuerunt duo’, sed dicuntur esse duo, i.e. unum et unum.

<Ad 1.4> Ad ultimo obiectum dicimus quod maior est affinitas et proportio inter unitates Socratis et Platonis quam inter ipsa unita, licet ipsa nos lateat. Et ideo ex illis potest fieri unum.

<ii> Ideo autem aggregatur numerus discretæ quantitati quia partes eius non copulantur ad communem terminum.

<iii> Fit hoc modo commensuratio secundum numerum: ab hoc nomine ‘numerus’ sumitur hoc nomen ‘numerata’, et a binario ‘duo’, et a ternario ‘tria’; et est hoc generale interrogativum numeri hoc nomen ‘quot’. Ad interrogationem factam per ipsum respondentur sumpta numeralia, ut ‘Quot sunt ista? – Duo, tria.’ \Et tales non recipimus ‘Ista sunt

⁹⁴ pluralitas] paucitas O.

numerata et illa sunt tot' sicut non recipimus 'Iste est coloratus et ille est talis' si unus sit albus et alius niger./ Hoc nomen 'numerus' est genus et continet sub se multas species – binarium, ternarium et similia. Et nota quod omne nomen numerale copulat formam cum discretione singularitatis et subiecta cum discretione pluralitates, ut 'ista sunt tria' i.e. ista sunt plura quae participant ternario.

<4b25> Partium etenim. Exemplificavit superius de discreta quantitate dicens numerum et orationem esse discretas quantitates. In hoc loco Auctor ostendit illa esse discretas quantitates, quia non habent partes copulatas ad communem terminum.

Continuatio: Ita numerus et oratio sunt discretas quantitates, enim i.e. quia partium numeri nullus est terminus communis ad copulandas eius i.e. numeri particulas. Et exempla supponit: ut quinque et quinque i.e. ut quinarium et quinarium, sumptum ponit pro principali, si sint ad decem particulae ("si" affirmative, non dubitative) i.e. cum sint particulae ad decem i.e. cum sint partes denarii, ad nullum communem terminum copulantur,⁹⁵ sed semper discreta sunt i.e. quantitates discretas, nec habent partes quae ad aliquem terminum communem copulentur.

<4b28> Sed et tria. Ostendit superius quod partes denarii aequales non copulantur ad terminum communem. Hoc loco ostendit de partibus eius inaequalibus. Et hoc est: Non solum quinque et quinque non copulantur⁹⁶ ad communem terminum, sed et i.e. etiam tria et septem ad nullum terminum communem copulantur, sed semper discreta et pro i.e. separata sunt. Et quia partes numeri non copulantur ad communem terminum, quapropter numerus quidem discretorum est i.e. de numero discretarum quantitarum.

<4b32> Similiter oratio etc. Post numerum agit de oratione Auctor ostendens quod oratio quantitas est et quod discreta quantitas. Videndum est igitur hoc loco <i> quid sit oratio prout hic accipitur, et <ii> utrum sit quantitas necne, et <iii> quomodo fiat commensuratio secundum orationem, et quare discreta quantitas dicatur.

<i> Hoc nomen 'oratio' multipliciter accipitur. Dicitur enim oratio vox significativa ad placitum cuius aliqua pars extra significat. Dicitur

⁹⁵ copulantur] co. O.

⁹⁶ copulantur] co. O. *Item sequenti vice.*

etiam oratio deprecativa oratio, secundum quod accipitur 'orare' pro 'deprecari'. Dicitur etiam oratio congeries vocum ad unum finem tendentium, ut domenica oratio et oratio argumentatio. Sed nullo istorum modorum accipitur hic.

Sed secundum quod hic accipitur dicitur oratio proprietas vocis, sc. mensuratio vocis.

Sed duplex est mensuratio vocis: una que attenditur in prolatione, alia in numero partium vocis. Illa quae attenditur in prolatione duplex est, sc. correptio et productio. Correptio est proprietas vocis secundum quam attenditur vox cito proferri, productio est secundum quam attenditur vox tarde proferri.

Nos dicimus quod productio et correptio non sunt quantitates vocis sed qualitates. Si enim productio vel correptio esset quantitas vocis, ergo si minueretur quantitas vocis /8rA/ minueretur ipsa vox; sed eadem vocalis correpta est et producta, et tamen non decrescit. \<<***>/⁹⁷

<ii> Item dicimus quod oratio prout hic accipitur est quantitas vocis <litteratae> quae attenditur secundum numerum simplicium partium eius, sc. litterarum in syllaba, et secundum quosdam syllabarum in dictione, dictionum in oratione. "Vocis litteratae", dico ad differentiam vocis confusae, in voce enim confusa non attenditur. "Secundum numerum partium" dico ad differentiam illius dimensionis quae attenditur in prolatione vocis.

Videtur autem quod oratio non sit quantitas, quoniam tantum voci \in/est, sed omnis proprietas \in/est substantiae, quare vox⁹⁸ est substantia, quod falsum est.

Ideo dicimus quod proprie oratio quantitas non est, connumeratur tamen inter quantitates propter similitudinem quam habet cum veris quantitativis.

<iii> Sequitur quomodo fiat mensuratio secundum orationem. Respondentur ad interrogationem de quantitate syllabae huiusmodi nomina 'bilitteralis' 'trilitteralis' et istae orationes 'sunt duarum syllabarum' vel 'trium' et sic deinceps. Quantitas autem dictionis ostenditur in responsione istorum 'disyllaba' 'trisyllaba' vel his orationibus 'duarum syllabarum' vel 'trium' et sic deinceps secundum numerum syllabarum.⁹⁹ Ora-

⁹⁷ Signum extat quo ad additionem marginalem referimur quae in margine superiore extitisse, margine resecta periisse videtur.

⁹⁸ vox] lectio incerta O.

⁹⁹ syllabarum] dictionum O.

tionis vero his dictionibus 'bisdictionalis' 'tridictionalis' vel his orationibus 'duarum dictionum' vel 'trium' et sic deinceps. Inter discretas quantitates computatur, quia non exigit continuationem \u/nitorum,¹⁰⁰ litterae enim in constitutione syllabae nec syllabae in constitutione dictionis vel dictiones in constitutione orationis ad nullum terminum communem copulantur.

Videtur etiam quod oratio habeat partium permanentiam. Voces enim sunt quando non proferuntur, et ita partes earum, et secundum numerum partium orationis attenditur oratio. Non oportet concedere quod habeat partium permanentiam. Licet enim consideretur secundum numerum partium, consideratur etiam secundum prolationem.

\Videtur quod bisyllabatio potest esse bidictionalitas, hoc modo: Instituitur haec vox 'bu' ad significandum idem quod 'homo', 'ba' idem quod 'currit', haec vox 'buba' est bi[[s]]dictionalis et non fuit bidictionalis, ergo est aliquanta quanta non fuit, et ita illa quae fuit bisyllaba est bidictionalis, et ita bisyllabatio est bidictionalitas. Ad hoc potest dici quod incipit esse aliquanta quanta non fuit. Vel potest dici quod accidentale est voci esse bidictionalem. Vel potest dici quod bidictionalitas notat qualitatem, sc. qualis sit illa vox./

Continuatio: Non solum numerus est discreta quantitas, autem i.e. sed similiter oratio est discretorum [[quantitas]] i.e. oratio \est/ de numero discretarum quantitarum, et vere oratio est discreta quantitas enim i.e. quia, quia hoc est quod manifestum est oratio est quantitas i.e. manifestum est quod oratio est quantitas. Et hoc probat: enim hoc est quia mensuratur syllaba longa et brevi secundum orationem supple, i.e. secundum orationem ostenditur aliqua syllaba esse longa, i.e. magna, et brevis, i.e. parva; sed non longa et brevis i.e. producta et correpta, quia productio et correptio potius sunt qualitates¹⁰¹ vocis quam quantitates, ut praediximus. Sed quoniam oratio est vox, et vox non est quantitas, ideo determinat Auctor dicens: Bene diximus orationem esse quantitatem dico autem orationem cum voce prolatam i.e. orationem dico esse quantitatem voci[s] adiacentem ex partium pluralitate, quae consideratur in prolatione vocis. Probato quod oratio quantitas sit probat quod discreta quantitas est, et hoc est: vere oratio discretorum enim i.e. quia particulae eius non copulantur ad communem terminum, i.e. partes subiectorum ad nullum terminum communem copulantur. Et hoc ostendit: non enim est communis terminus ad quem syllabae copulantur †indirecte† similiter intellige de lit-

¹⁰⁰ unitorum] *lectio incerta* O.

¹⁰¹ qualitates] quantitates O a.c.

teris in syllaba. Dico quod non copulantur ad communem terminum litterae vel syllabae sed unaquaeque divisa est secundum se ipsam i.e. unaquaeque littera vel syllaba per se considerata suam habet existentiam per se, i.e. nulla copulatur alii.

Probat Auctor orationem esse discretam quantitatem quia subiectum eius discretum est. Sed non est sufficiens haec probatio, inest enim continua quantitas discretis si forma insit formae, ut huic binario inest diurnitas cum hic numerus sit diurnus; et discreta continuis, ut quantitas considerata secundum simplices partes totius continui inest ipsi toti. /8rB/ [[screta quantitas]] Ideo sic potest dici: Discreta quantitas est cuius subiectum discretum est, ita ut quaelibet simplex pars discretae quantitatis insit alicui parti subiecti, sed [[tempori]] \binario/ non inest quantitas ita ut quaelibet pars ipsius insit alicui parti [[temporis]] \binarii/.

<5a1> Linea vero et cetera. Expedivit se Auctor de discretis quantitatibus, transfert se ad continuas quantitates, et simul agit de his tribus – linea, superficie, soliditate – quia istae quantitates consimilis sunt naturae. Linea enim constat ex punctis, superficies ex lineis, soliditas ex superficiebus. \Et punctum est principium istarum trium cuiuslibet./

Videndum est <i> primo quid sit linea, quid superficies, quid soliditas; <ii> secundo ex quibus constet linea, superficies, soliditas; <iii> tertio quare annumerentur inter continuas quantitates; <iv> quarto quomodo fiat commensuratio secundum eas.

<i> Linea sic describitur: linea est longitudo sine latitudine. Superficies est longitudo et latitudo sine spissitudine. Soliditas est longitudo, latitudo et spissitudo.

Patet quod hae descriptiones indigent expositione, proprie enim intellectae erit hoc falsum quia longitudo est relatio et habet correlationem brevitatem, latitudo relatio est et habet correlationem proprietatem copulatam per hoc nomen ‘artum’, spissitudo relatio est et habet correlationem tenuitatem. Sed [[nulla]] \quaelibet/ istarum \est quantitas et nulla quantitas/ est relatio, ergo nulla est longitudo, latitudo, spissitudo.

Item, quidam sic exponunt ‘linea est longitudo \sine latitudine/’ i.e. “linea est subiectum longitudinis et non latitudinis” sicut “Davus est ipsum scelus”¹⁰² i.e. Davus est subiectum sceleris. Similiter superficies est longitudo et latitudo i.e. est subiectum longitudinis et latitudinis.

¹⁰² Cf. Terentius, *Andria* 665, 844

Quod falsum est, linea enim quantitas,¹⁰³ et nulla proprietas inest proprietati secundum nos, et longitudo proprietas, ergo linea non est subiectum longitudinis, quia sic forma inesset formae, quod secundum nos falsum est, cum linea sit quantitas et longitudo relatio.

Ideo alii sic exponunt 'linea est longitudo sine latitudine' i.e. "linea est effectiva longitudinis et non latitudinis", sicut "gladius est mors" i.e. efficit mortem.

Sed hoc falsum est quia linea etiam est effectiva latitudinis, quia secundum lineam habet fieri dimensio longitudinis, latitudinis et spissitudinis.

Nos aliter dicimus 'linea est longitudo sine latitudine' i.e. "est talis proprietas quae efficit primum subiectum suum longum et non latum", sicut "mors est pallida" i.e. efficit subiectum suum pallidum; "superficies est longitudo et latitudo" i.e. efficit subiectum suum longum et latum; "soliditas est longitudo, latitudo spissitudo" i.e. efficit subiectum suum longum, latum et spissum.

<ii> Quadrupliciter de partibus lineae iudicatur. Quidam dicunt <quod> constat ex infinitis lineis, secundum quos omnis linea suscipit sectionem in infinitum. Alii dicunt quod linea constat ex line[[a]]i/s finitis, quaedam enim non suscipit sectionem, \et pervenitur ad/ illam quae dicitur insecabilis. Alii dicunt quod linea constat ex infinitis punctis. Alii quod constat ex finitis punctis, et huic sententiae nos praebemus assensum. Sed rationibus quae contra nos sunt et quae nobiscum faciunt hic supersedemus, quia eas in sententiam redegimus.

/8vA/¹⁰⁴ <iii> Ideo connumerantur hae quantitates inter continuas quantitates quia partes lineae copulantur ad communem terminum, sc. ad punctum. Sed hoc nomen 'punctum' aequivocum est. Dicitur enim punctum finis lineae, sc. extremitas /8vB/ lineae quae non est pars lineae, locus ille ad quem copulantur lineae, i.e. cohaerentia ipsa linearum. Secundum hoc dicit Boethius¹⁰⁵ "Si punctum puncto addas, nihil maius efficies."

¹⁰³ quantitas] proprietas *malim*; *possis* quantitas <et quantitas est proprietas>

¹⁰⁴ Sectio <iii> (Ideo – continuis quantitativis) in codice post sectionem <iv> scripta est. Litteris quomodo rectus ordo restituendus esset indicavit librarius, cum .a. loco quo inserenda esset, .b. ante et .c. post ipsam sectionem <iii> scriberet.

¹⁰⁵ Locum non inveni. Cf. Anon. *Comm. Cat. cod. Berol.* 2°624: 84rB: Dicit B(oethius) "Si punctum puncto addas, quasi nihil nihilo addis", ergo linea non fit ex punctis. Item Anon., *Comm. Cat. cod. Patav. BU* 2087: 22rA: Quod linea non constat ex punctis probat: dicit Bo(ethius) "Si punctum puncto addas, nil amplius

Dicitur etiam punctum extrema pars lineae, simplex particula. Sed secundum hoc partes lineae non copulantur ad punctum. Copulantur etiam duae lineae ad lineam, ut si disponantur tres lineae una iuxta aliam, duae extremae copulantur ad mediam. Partes superficiei copulantur ad communem terminum, sc. ad lineam, ut duae medietates huius quadrati copulantur ad mediam lineam. Copulantur etiam superficies ad punctum, ut duo trianguli qui se contingunt in angulo. Partes solidi copulantur ad superficiem, sc. sphaerici corporis, ut in pila. Intelligatur superficies media per quam superius hemisphaerium copulatur inferiori hemisphaerio. Copulantur etiam partes soliditatis ad lineam, ut duae lineae rotundae quarum una superiacens alii cohaeret copulantur ad lineam intramediam.¹⁰⁶ Copulantur etiam partes solidi ad punctum, ut duo circuli qui se contingunt in geometria probantur se contingere in puncto. Et ideo annumerantur continuis quantitibus.

/8vA/ <iv> Consequenter quaeritur quomodo fiat mensuratio secundum has quantitates. Dicimus quod linea habet species: bicubitionem, tricubitionem et sic deinceps. Sumpta ab his speciebus: 'bicubitum' 'tricubitum' etc. Ad interrogationem factam per hoc nomen 'quantum' respondentur ipsa, ut 'Quantum est hoc secundum lineam?', respondetur 'Bicubitum, tricubitum, tetracubitum'. Si quaeratur de superficie, ut 'Quantum est hoc secundum superficiem?' \secundum quosdam/ respondetur huiusmodi circumlocutione 'Bicubitum in longitudine, tricubitum in latitudine', quia superficies non habet species. Quod falsum, quia aliquid est bicubitum in longitudine et latitudine quod est aequale illi quod est monocubitum in longitudine et tricubitum in latitudine; ergo superficies illorum sunt aequales. Quod est inconveniens, quia secundum hoc nulla superficies <est aequalis> alii nisi tanta sit in omni dimensione quanta et illa, ut utraque sit bicubita vel tricubita in longitudine et latitudine. Item, aliquod tetracubitum in longitudine et latitudine est aequale tricubito in longitudine et latitudine. Quod probatur in quadrato inscripto in circulo.

Nos dicimus quod species superficiei sunt bicubitio, tricubitio, sicut et lineae \aequivocatis his nominibus ad lineam et ad superficiem/. Et ad interrogationem factam per 'quantum', ut 'Quantum est hoc secundum superficiem?' si sit monocubitum in longitudine et latitudine respondetur 'monocubitum', si sit bicubitum in longitudine et tricubitum in latitudine

efficies" †quia(?)† si nihil nihil addas, si nihil efficies, ergo nec lineam efficies, ergo linea non constat ex punctis.

¹⁰⁶ intramediam] sic O.

multiplicatur unus numerus per alterum et est istud sex cubitorum, si sit bicubitum in longitudine et latitudine est quattuor cubitorum vel tetracubum.

Similiter de soliditate dicebant quod species soliditatis sunt huiusmodi orationes ‘monocubitum in longitudine, bicubitum in latitudine, tricubitum in spissitudine, et ad interrogationem factam ‘Quantum est istud secundum soliditatem?’ respondetur ‘Bicubitum in longitudine, tricubitum in latitudine, tetracubitum in spissitudine’. Sed hoc falsum est, quia aliquid quod est tricubitum in longitudine, bicubitum in latitudine, monocubitum in spissitudine est aequale alii in soliditate quod est tantum monocubitum in omni dimensione, ut *cereus*¹⁰⁷ *cereo globoso*; et aliquid est aequale alii in omni dimensione et tamen est inaequale in soliditate.

Nos dicimus de soliditate sicut de superficie. \Et similiter aequivocamus haec nomina ad species soliditatis ‘bicubitio’ ‘tricubitio’./ Et species soliditatis sunt species hae: bicubitio, tricubitio. Et ad interrogationem hanc ‘Quantum est istud in soliditate?’ si sit monocubitum in omni dimensione respondetur ‘Monocubitum’, si bicubitum in omni dimensione uno numero multiplicato per alium respondendum est ‘Octo cubitorum’, si sit bicubitum in longitudine et tricubitum in latitudine et tetracubitum in spissitudine unus numerus multiplicetur per alium, ut: bis tria sex, quater sex viginti quattuor, est ergo triginta cubitorum. Et sic mensuratur secundum lineam, superficiem et soliditatem.

Et notandum quod quidam dicunt quod secundum diversa adiuncta per hoc nomen ‘quantum’ quaeritur de diversis speciebus quantitatis, ut ‘Quanta est haec hasta?’ quaeritur de longitudine, ‘Quantus et iste fluvius?’ de latitudine, et ‘Quantus est iste?’ agit<ur> de longitudine et latitudine, ‘Quantum est hoc corpus?’ de spissitudine. Nos dicimus quod per hoc nomen ‘quantum’ cum quolibet adiuncto habet fieri quaestio de omnibus speciebus quantitatis, et univoce.¹⁰⁸

/8vB/ Continuatio: Numerus et oratio sunt discretas quantitates, <5aI> vero i.e. sed linea continuum est, i.e. linea est continua quantitas. Et hoc probat: enim i.e. quia potes sumere communem terminum ad quem particulae eius i.e. lineae copulantur i.e. punctum, ad punctum enim qui est terminus lineae partes lineae copulantur, et superficiei lineam i.e. partes superficiei copulantur ad communem terminum i.e. ad lineam. Vel:

¹⁰⁷ *Adiectivum figuram significans post cereus excidis suspector.*

¹⁰⁸ *Quae in codice sequuntur Ideo connumerantur – ideo annumerantur continuis quantitibus superius locavi, signa transpositionis in codice inventa secutus.*

potes etiam sumere lineam ad quam copulentur partes superficiei. plani namque i.e. superficiei, ad quendam communem terminum copulantur, sc. ad punctum vel ad lineam. Similiter autem et in corpore poteris sumere communem terminum sc. superficiem vel lineam vel punctum. Et soliditatem vocat corpus, quia soliditas adiacet corpori, i.e. poteris invenire aliquam superficiem quae particulas corporis copulat i.e. ad quam copulentur partes corporis i.e. soliditatis.

<5a6> Est autem etc. Egit Auctor de tribus continuis quantitibus, hoc loco adiungit de tempore et loco, praemittens de tempore quia forte de eo certius erat ipsum esse quantitatem quam de loco.

Cuius gratia videndum \est/ <i>quot habeat acceptiones hoc nomen 'tempus', et <ii> in qua hic teneatur, et <iii> quare annumeretur continuis quantitibus, et <iv> quomodo fiat mensuratio secundum tempus.

<i> Tempus¹⁰⁹ est spatium illud in quo sumus, et secundum hanc acceptionem tres inveniuntur temporis descriptiones. Una convenit totali tempori et non partiali, alia partiali et non totali, tertia et totali et partiali. Prima haec est: "tempus est spatium quod cum mundo incepit et cum mundo desinet esse, ita di\c/o, si mundus et tempus sint finem habitura"; "si" ideo posuit dubitative, quia dubium fuit apud antiquos utrum mundus et tempus desinerent esse, \et haec convenit totali/. Secunda est haec:¹¹⁰ "tempus est pars aeternitatis cum alicuius annui, mensurni, nocturni diurnive \spatii/ certa dimensione"; idem hic vocatur "aeternitas" quod superius "spatium", et haec convenit tempori particulari. Tertia talis: "tempus est mora vel motus rerum mutabilium": "mora" quantum ad tempus compositum, "motus" quantum ad simplex tempus, quia semper de momento movetur in momentum; et haec convenit totali et particulari. Item, tempus est opportunitas aliquid faciendi, ut 'tempus est legendi' i.e. opportunitas est legendi. Item, tempus est coemptio rerum venalium, /9rA/ unde dicitur 'carum tempus est' i.e. cara est coemptio rerum venalium. Dicitur iterum tempus qualitas aeris, ut 'c\l/arum tempus est' i.e. clara est qualitas aeris. In nulla harum significationum hic accipitur. Prout enim tempus dicitur spatium, tempus non est quantitas, sed quiddam habens suum esse per se. \Si enim haec dies esset proprietas et inest mihi ut in

¹⁰⁹ De definitionibus temporis cf. Petrus Helias, *Summa super Priscianum*, p. 484 Reilly; necnon Glosa "Promisimus" in *Prisc. Inst.* 8.8.38. Praeterea *Compendium logicae Porretanum* III.20, *CIMAGL* 46 (1983) 45; *Praeterea Anon., Comm. Cat., cod. Berol.* 2°624:84vA.

¹¹⁰ Cicero, *De inventione* 1.36.39 (sed significatione pro dimensione habet Cicero).

subiecto, ergo impossibile est hanc diem esse et me non esse. Item, eadem ratione haec dies inest mihi et tibi et aliis, et ita aliqua proprietas inesset [[aliquibus(?)]] \infinitis/ ita quod cuilibet illorum, quod impossibile est. Et ait Boethius in commento:¹¹¹ “Quaedam proprietates sunt quae non sunt in aliquibus, sed nos sumus in illis, ut tempus et locus”; sed hoc non recipimus, omnis enim forma in aliquo est./ Prout dicitur opportunitas est habens suum esse per se vel est proprietas rei quae debet fieri. Prout dicitur coemptio etiam qualitas est. Iterum patet quod qualitas non est quantitas.

<ii> Ideo aliter dicimus quod tempus prout hic accipitur est proprietates quae inest alicui ex eo quod ipsum per aliquantum tempus fuit duraturum.

<iii> Ideo annumeratur continuis quantitativis quia si Socrates fuit futurus diurnus, diurnitas fuit infutura Socrati; ergo medietates diurnitatis copulantur ad communem terminum, est enim terminus medius qui est finis unius medietatis et principium alterius.

<iv> Et sic fit commensuratio secundum tempus: Species temporis sunt momentaneitas, diurnitas, mensurnitas, annuitas. Ab his denominative sumuntur ‘momentaneum’ ‘diurnum’ ‘mensurnum’ ‘annuum’, et ad interrogationem factam per ‘quantum est’ ut ‘Quantum est hoc secundum durationem’ respondendum est ‘Diurnum, mensurnum, annuum’.

Quaedam sunt dubia circa haec nomina ‘diurnum’ ‘mensurnum’ et similia, ut utrum omnis ille qui fuit duraturus per diem sit diurnus; eadem ratione dicetur annuus qui est duraturus per annum; et sic ille qui est momentaneus est centennis, quod videtur inconueniens quia male dicimus ‘est puer centum annorum’. Ad hoc dicimus quod huiusmodi nomina \‘diurnus’ <‘annuus’>/ copulant aetatem et quantitatem. Aetas qualitas <est> et non est in aliquo nisi tota insit vel infuerit illi, ut diurnitas non inest alicui nisi in termino sui; secundum hoc nullus est diurnus, nullus est annuus nisi qui duravit per totum diem et per totum annum. Prout copulant quantitatem dicitur esse diurnus quicumque est duraturus per diem et annuus per annum et mensurnus per mensem; et secundum hoc omnia sunt momentanea et aequalia secundum tempus. Praedicat etiam hoc nomen ‘diurnus’ quando, ut ‘actio ista est diurna’ i.e. exercetur in die. Huiusmodi autem nomina ‘centennis’ ‘millennis’ dicimus quod proprie copu-

¹¹¹ In commentario Boethii nihil tale invenitur.

lant aetatem et non quantitatem, et dicitur solus centennis qui vixit per centennium, millennis qui \per/ millennium.

Alia est dubitatio quod a quibusdam dicitur huiusmodi nomina 'diurnus' 'annuus' 'mensurnus' habere implicitam dictionem exclusivam, et [[dicitur]] \est/ diurnus solus ille qui est duraturus tantum per diem, et mensurnus tantum per mensem, et annuus tantum per annum. Nos istud non approbamus, immo diurnus est omnis qui duraturus est per diem, et annuus omnis qui duraturus est per annum.

Alia dubitabilia circa haec nomina disputationi relinquimus.

Continuatio: Non solum linea et superficies et soliditas sunt continuae quantitates, <5a6> autem i.e. sed et tempus et locus est talium i.e. et tempus et locus est de numero discretarum quantitatum. Et hoc probat: enim i.e. quia praesens copulatur et ad praeteritum et ad futurum i.e. praeteritum tempus et futurum copulantur ad praesens instans quia praesens tempus est terminus temporis praeteriti et futuri principium.

<5a8> Rursus locus etc. Egit Auctor de tempore; hoc loco agit de loco. Cuius gratia videndum est <i> quot modis accipiat hoc nomen 'locus', et <ii> quo illorum hic, et <iii> quare annumeretur continuis quantitibus, et <iv> qualiter fiat mensuratio secundum locum.

<i> Hoc nomen 'locus' tres habet acceptiones. Dicitur enim locus inane, ut: Socrates est in aliquo loco, movetur ab illo, locus ille a quo movetur intelligatur vacuus talem habens partium dispositionem qualem habet Socrates, ita quod ibi non subintret aer, licet hoc sit impossibile; et talis locus dicitur inane. Dicitur etiam locus aliquod superficiale cui aliquid superponitur, ut pratum. Dicitur etiam locus substantia ut domus, scyphus et alia huiusmodi concava quae infra sui concavitatem aliquid continent. /9rB/ In nulla harum significationum accipitur hic. Quia prout dicitur inane nec est substantia nec qualitas nec res praedicamentalis sed suum habens esse per se. Nec in secunda nec in tertia significatione accipitur hic, quia in utraque est substantia.

<ii> Ideo aliter dicitur "locus est proprietas quae inest alicui ex eo quod ipsum capax est aliquanti vel ex eo quod ipsum potest comprehendi in aliquo". Ex eo quod potest contineri in aliquo loco, ut vinum in dolio; ex eo quod capax est aliquanti ut dolium vini.

Primae species loci sunt proprietas continendi active et proprietas continendi passive. Proprietas continendi active inest vasi, proprietas con-

tinendi passive inest liquoribus et huiusmodi. Species istarum specierum sunt 'sextarius' 'modius' et alia mensurarum nomina. Sed talia aequivoca sunt; est enim sextarius proprietas continendi passive, ut illa qua inest vino ex eo quod in tali vase continetur, et sextarius proprietas continendi [[passive]] \active/, ut proprietas qua inest vasi ex eo quod ipsum tanti \est/ capax. Dicitur etiam sextarius ipsum vinum et sextarius tale vas. Similiter modius, et <sic> de aliis.

Erant qui dicerent "Quidam locus est discreta quantitas, quidam continua" – discreta ut Villa quae inest/ istis duobus scyphis, posito quod hic sint duo scyphi contigui et non continui pleni vino, proprietas continendi hoc vinum inest illis ita quod neutri illorum, et est discreta quia inest illis ita quod non alteri; continua quantitas est ut illa quae inest uni scypho in quo continetur aliquantum vinum; continua etiam inest vino ex eo quod continetur in scypho; discreta ut illa quae est in granis quae continentur in aliquo vase \ut in modio/.

Nos hanc opinionem alibi rationibus improbamus, ad expediens dicimus quod omnis locus continua quantitas est, nec una proprietas continendi vinum inest illis duobus scyphis sed duae proprietates continendi illud vinum insunt illis, ita quod eorum neutri. Similiter granis non inest una quantitas replendi hoc vas, sed tot insunt illis quantitates quot sunt grana, et "Quanta sunt haec grana?" \quaesito/: tanta quantum est quodlibet illorum; et illa replent hoc vas non una repletionem sed pluribus repletionibus.

Et notandum quod huic vasi inest una quantitas ex eo quod ipsum capax est aliquanti, eidem inest alia quantitas ex eo quod ipsum repletivum est aliquanti loci.

Sed iudicaturne tantum secundum hanc quantitatem quantum est secundum illam, vel maius vel minus? Dicimus quod nec tantum nec maius nec minus, nihil enim est aequale alii secundum quantitatem nisi ipsum participet eadem specie quantitatis cum illo, nihil est inaequale alteri secundum quantitatem nisi quantitates illorum in hoc solo differant quod una est maior alia, ut linea differt a linea quia est maior illa; sed haec quantitas non in hoc solo differt ab illa quod sit maior vel minor illa, sed etiam in hoc quod una est proprietas continendi active, alia proprietas contiendi passive.

Similis est quaestio: Socrates est aliquantus secundum quod bicubitus est; est aliquantus secundum quod aliquanti loci completivus; estne maior vel minor vel aequalis secundum hanc quantitatem et illam? Non utique!

Item nota: Licet proprietas continendi hoc vinum insit scypho, non tamen cuilibet simplici parti scyphi inest proprietas continendi quamlibet partem vini, quia si per medium secetur scyphus, multo minus continebunt partes quam ipsum totum. Et hoc idem probatur in panno diversis modis consuto.

Sed si concederem formam inesse formae, hoc dicerem de inani quod quaelibet simplex pars corporis contenti continetur in aliqua simplici parte inanis.

<iii> Ideo annumeratur locus continuis quantitibus quia partes eius copulantur ad communem terminum.

<iv> Et sic mensuratur secundum /9vA/ locum: ‘Quantum est hoc vinum secundum locum? – Sextarius, modius.’ Similiter ‘Quanta est haec mensura secundum capacitatem? – Sextarius, modius (et sic de aliis nominibus mensurae)’.

Et hoc est: Tempus, inquam, est continuum, <5b8> rursus locus continuorum est i.e. locus est de numero continuarum quantitatum. Et hoc probat, et est probatio talis: Partes vini quod continetur infra dolium copulantur ad communem terminum, et singulae partes loci, sc. proprietatis continendi vinum, insunt singulis partibus vini; ergo partes loci copulantur ad communem terminum. Et hoc est: Vere locus continuum est, enim i.e. quia locum quendam corporis particulae obtinent i.e. partes loci adiacent partibus corporis, quae particulae, corporis supple, ad quendam communem terminum copulantur; ergo et loci particulae quae obtinent singulas particulas corporis i.e. quae insunt singulis partibus corporis ad eundem terminum copulantur ad quem et corporis particulae i.e. ibidem copulantur ad communem terminum ubi partes corporis copulantur ad communem terminum. Quapropter locus est continuus¹¹² i.e. de numero continuorum ad unum enim communem terminum particulae copulantur.

<5a15> Amplius autem etc. Posita una divisione quantitatis, hac sc. “quantitatum alia continua, alia discreta”, ponit hic Auctor aliam et eam prosequitur, quae talis est: quantitatum alia habet positionem in partibus, alia[m] non habet. Illa habet positionem in partibus quae habet cohaerentiam et permanentiam, ut linea, superficies, soliditas. Illa dicitur non habere positionem in partibus quae habet cohaerentiam¹¹³ et successionem, ut tempus; vel permanentiam et discretionem, ut numerus; vel discretio-

¹¹² continuus Arist.] con() O; *paraphrasi nisus suspicor nostrum continuorum legisse.*

¹¹³ cohaerentiam] co() O.

nem et successionem secundum plerosque, ut oratio. Et hac omnia superius exposita sunt. Et hoc est: Amplius autem, \quasi dicat/: Posui unam divisionem quantitatis, et non solum una convenit quantitati, autem i.e. sed amplius agendum est de alia divisione quantitatis. Alia quidem i.e. quantitatum aliae constant ex particulis quae in eis sunt positionem ad se invicem habentibus; per hoc quod dicit “habentibus ad se invicem” notat cohaerentiam partium; per hoc quod dicit “quae in eis sunt” notat permanentiam; est autem pars in toto ut \contententum in continente/ [[contingens]], dicitur esse totum in parte ut¹¹⁴ materiatur in materia. <5a16> alia autem ex non habentibus positionem i.e. aliae quantitates non habent positionem in partibus. Et primo exemplificat de illis quae habent positionem in partibus, ut, ac si diceret “verbi gratia” lineae quidem in partibus¹¹⁵ positionem habent ad se invicem. Et hoc ostendit manifeste: Singulum namque horum i.e. quaelibet partium lineae situm est alicubi i.e. in aliquo loco – per hoc notat permanentiam – et habes unde sumas i.e. a quo loco sumas et assignes ubi unumquidque situm est in plano i.e. in superficie, i.e. non potes sumere aliquam partem lineae in superficie de qua n<on> possis \dicere/ quod ipsa copulatur¹¹⁶ alii parti eiusdem lineae, et ita habet in partibus cohaerentiam. Et hoc est: et ad quam particulam cetera copulantur, quia ad partem lineae copulantur medietates lineae, et sic deinceps. <5a20> Similiter autem i.e. sicut contingit in linea, simili modo contingit in superficie. Et hoc est: Similiter autem et in plano i.e. in superficie, namque ostenditur unum quid ubi iacet i.e. de qualibet parte plani postest ostendi ubi sita est. Hoc enim verbum ‘iacet’ situm copulat. Et per hoc notat permanentiam. et quae copulantur ad se invicem, et per hoc innuit cohaerentiam. Sed et soliditatis quidem similiter et loci i.e. hoc idem intelligendum est de soliditate et loco.

<5a23> In numero autem non poterit quisquam respicere etc. Ita est in praedictis quantitativis quod habent positionem in partibus, autem i.e. sed non ita est in numero tamquam i.e. quod particulae eius aliquam positionem habeant ad se invicem i.e. non potest percipi quod numerus habeat positionem in partibus, quia non potest [potest] videri ubi numerus sit, cum enim unitas insit Socrati non est videre ubi sita sit illa unitas, sc. quod sita sit aut in pede aut in ma/9vB/nu aut alibi in eo. Et hoc est: aut sit situm alicubi aut aliquae particulae ad se invicem connectantur quia non copu-

¹¹⁴ ut] non O.

¹¹⁵ in partibus] in p(a)r. O; particulae Arist. trl. composita.

¹¹⁶ copulatur] copuleitur O a.c., ut videtur

lantur ad communem terminum. Sed neque ea quae temporis sunt i.e. partes temporis non habent positionem in partibus. Et hoc probat dicens nihil enim permanent particulae temporis i.e. partes temporis non habent permanentiam, quare tempus non potest habere positionem in partibus. \Hoc est:/ quod autem non est patiens quomodo positionem aliquam habebit? quasi dicat: Nullo modo! Sed magis ordinem quendam particularum dices habere, “ordinem” i.e. successionem, “magis” ponitur elective. Et ostendit causam quare tempus non habeat permanentiam in partibus dicens: ideo quod aliud prius sit, aliud vero posterius. Sed de numero similiter: ita tempus non habet positionem in partibus nec etiam numerus eo quod prius numeretur unus quam duo et duo quam tres i.e. prius numeratur unitas quam binarius et binarius quam ternarius; et ita ordinem quendam habebunt. Positionem vero non multum percipies, et ita numerus nec habet cohaerentiam nec permanentiam in partibus.

<5a33> Sed et oratio similiter sc. non habet positionem in partibus, nihil enim patiuntur¹¹⁷ particulae eius, sed dictum est et non potest amplius sumi, \oratio/ enim non potest capi amplius quam proferatur, et †ubicumque† dicitur vox non esse nisi quando profertur i.e. non apparet nisi quando profertur, sicut ibi “fertior seges est alienis semper in agris”¹¹⁸ i.e. apparet quapropter i.e. ideo non erit positio particularum eius, siquidem nihil permanent. <5a36> Alia itaque. Illatio ex praedictis, quasi dicat: Quandoquidem ita est quod quaedam quantitates habent permanentiam in partibus et non cohaerentiam, quaedam econverso, quaedam habent permanentiam et cohaerentiam, ita alia itaque constant ex particulis quae in eis sunt habentibus positionem, alia ex non habentibus¹¹⁹ positionem.

<5a38> Proprie autem quantitates hae etc. Posuit Auctor superius septem quantitates. Putaret aliquis plures esse quantitates. Hoc removet Auctor dicens Proprie autem quantitates sunt hae solae quas diximus.

Videtur hoc esse falsum propter has quantitates ‘unitas’ ‘punctus’ ‘elementum’ ‘simplex locus’ et ‘instans’, quia nullum istorum est linea, superficies, soliditas, tempus, locus, numerus vel oratio, quare insufficienter posuit Auctor species quantitatis.

¹¹⁷ patiuntur] p(er) O.

¹¹⁸ Ovidius, *Ars Amatoria* 1.349

¹¹⁹ alia ex non habentibus] *lineam subductam om. O, sed ex compendiis satis liquet haec verba textui Aristotelico attribuenda esse.*

Ad hoc dicunt quidam quod haec non sunt quantitates sed partes quantitatum, et ideo non est in his instantia, quia per dictionem exclusivam adiunctam nomini totius non excluduntur partes, ut cum dico 'solus Socrates est hic intus' non fit exclusio partium Socratis.

Aliis videtur quod nec sunt quantitates nec qualitates, sed habent suum esse per se.

Alii dicunt quod huiusmodi termini sunt quantitates, et per exclusionem totius non excluduntur termini eius, et ideo de his nulla est obiectio.

Vel dicatur quod non intendit Auctor nisi de compositis quantitativis, et hae sunt simplices quantitates.

Item, numerus est duplus ad alium, ergo numerus est magnus, et ita magnitudo, quae est effectus quantitatis, inest numero; sed illa quantitas non est aliqua assignatarum ab Auctore; non ergo sufficienter enumeravit Auctor species quantitatis.

Ad hoc dici potest quod illa quantitas datur intelligi per quantitatem quae dicitur oratio, et ideo sic dicendum est: Proprie autem quantitates sunt hae solae quas diximus vel quae dantur intelligi per ipsas.

Item, obicitur de pondere. Pondus enim quantitas est, quia respondetur ad interrogationem factam per 'quantum', ut "Quantum est hoc argentum?" "Marca." Et tamen pondus nulla praedictarum quantitatum est, non enim est soliditas, de qua magis videtur, quia simplex aur[[o]]um/ simplici auro aequale est in soliditate, et tamen ponderosius est illo quia defaecatius; ergo pondus huius intensius est vel maius pondere illius. Si intensius, ergo quantitas suscipit intensionem et remissionem; quod falsum est, ergo et illud ex quo hoc. Si pondus huius maius pondere illius, ergo pondus huius est magnum, /10rA/ ergo est compositum, et ita simplex pars huius ponderis inheret alicui; non erit assignare cui nisi simplici \huic/ auro, quod est inconveniens. Dicto quod pondus est quantitas accidet etiam quod aliquid est aequale alii secundum pondus, et tamen est magis vel minus solidius illo.

Nos dicimus quod pondus qualitas est. Et si dicerem pondus esse quantitatem, concederem 'istud est aliquantum ponderans et magis ponderans'. Et quando mensuratur marca potius consideratur qualis sit quam quanta sit. Et ideo dicimus quod pondus qualitas est.

Continuatio: Putaret aliquis quasdam esse quantitates praeter illas quas diximus, <5a38> autem i.e. sed hae solae quas diximus sunt proprie quantitates, alia vero omnia secundum accidens i.e. improprie sunt quantitates, multitudo enim et magnitudo sunt effectus quantitatum, et gratia quantitatis dicuntur aliqua multa vel magna. Et hoc probat: ad haec enim respicientes i.e. ad veras quantitates respectum facientes dicimus i.e. quidam et i.e. etiam alias praeter praedictas esse quantitates. Et hoc est: ut album i.e. albedo dicitur multum i.e. magna, et est proprietas quia pertinet haec dictio 'multum' ad discretam quantitatem tantum, sed hic transumitur, eo quod superficies multa i.e. magna sit i.e. gratia superficiei dicitur albedo esse magna, quia ideo dicimus albedinem alicuius esse magnam quia habemus respectum ad quantitatem superficiei; 'magnum' tamen non copulat quantitatem, sed relationem potius.

Nota quod hic videtur Auctor <velle> quod color attendatur secundum superficiem. Hoc idem videtur velle in Topicis, ubi dicit "proprium superficiei primo loco colorari, corporis autem secundo."¹²⁰

Super hoc duae solent esse sententiae. Prima quod color tantum secundum superficiem attenditur, et omnis color superficialis est, et eius coloris dicendum est corpus cuius coloris est superficies, Et secundum hoc nullam habet albedo nisi unam dimensionem.

Solet aliter dici quod color attenditur secundum corpus ipsum, et non dicitur aliquod corpus album nisi quod totum est album, interius et exterius. Et secundum hoc omnis color tres habet dimensiones sicut et corpus: longitudinem, latitudinem et spissitudinem. Si quis hanc tueretur sententiam, dicere poterit quod Auctor dicit colorem attendi secundum superficiem quia ita solet esse quod iudicemus corpus eius coloris cuius coloris sunt partes illae quae se magis offerunt visui.

<5b2> et actio longa eo quod tempus longum et multum i.e. gratia temporis, quod quantitas dicitur, iudicatur actio longa; quantum enim fuerit tempus per quod duravit actio, tanta dicitur illa actio; et motus multus i.e. magnus eo quod tempus multum i.e. magnum, quia secundum quantitatem durationis similiter attenditur quantitas motus. Bene dico quod huiusmodi non sunt verae quantitates, enim i.e. quia neque i.e. non singulum i.e. quodlibet horum i.e. praedictarum proprietatum dicitur quantitas per se i.e. proprie i.e. nulla praedictarum vera quantitas est. Et hoc ostendit:

¹²⁰ Arist., *Top.* 5.5.134a18-25 (*sed non ad verbum laudat noster*).

ut si quis assignet quanta sit actio, tempore definit i.e. si velit assignare de actione quanta [quam] sit, respiciet ad durationem temporis. Et hoc est: tempore definit annuam vel mensurnam vel diurnam vel sic aliquo modo assignans et sicut quantitas actionis determinatur per tempus, ita albedinis quantitas determinatur per superficiem¹²¹ quantitatem. Et hoc est: et album quantum sit definit superficie; sumptum pronit pro principali, i.e. si quis velit assignare quantitatem albedinis superficiem respiciet¹²² i.e. habito respectu ad superficiem definit quantitatem albedinis. Et bene dico quod quantitatem albedinis definit quis habito respectu ad superficiem, enim i.e. quia quanta erit superficies, tantum album esse dices i.e. tantam dices esse albedinem. <5b8> Quare.¹²³ Ex praedictis infert: Quando quidem illae non dicuntur verae quantitates de quibus magis videtur, quare solae et proprie quantitates [[dicuntur]] et secundum [[a.]] \se/ dicuntur quae dictae sunt. Enim i.e. quia aliorum i.e. aliarum proprietatum de quibus mentionem fecimus, nihil enim i.e. nulla per se i.e. proprie quantitas est, sed forte i.e. forsitan aliqui velint dicere quod sint quantitates, et per hoc quod dicit “forte” notat varietatem dicentium. Hoc ipsi qui volunt hoc dicere dicunt per accidens i.e. improprie.

<5b11> Amplius etc. Secundum praenotatum ordinem posuit Auctor species quantitatis; amodo investigat proprie proprium quantitatis. Et hoc loco tale assignat proprium quantitati nihil quantitati esse contrarium. Contraria /10rB/ sunt quae contrarios habent effectus vel quae sub eodem genere posita maxime differunt. Et sic nulla quantitas quantitati est contraria. Quod convincitur ex eo quoniam omnes species quantitatis in eodem possunt repperiri, ut linea est in hoc corpore quia ipsum est longum, superficies quia est latum, soliditas quia est solitum, tempus quia durat in tempore, locus quia circumscribit ipsum, numerus quia inest partibus eius. Oratio etiam fortasse quantitas illa quae inest simplicibus partibus huius corporis. Non convenit hoc proprium soli quantitati, convenit enim substantie et relationi.

Continuatio: Non tantum praedicta dicenda sunt de quantitate, autem i.e. sed amplius sc. dicendum est hoc quod quantitati nihil est contrarium. Et hoc ostendit: in definitis enim i.e. in illis de quibus definitum est quod sint quantitates manifestum est quod nihil eis est contrarium. Vere quanti-

¹²¹ superficiem] superficiem O.

¹²² superficiem respiciet] su. re. O; *verba non sunt Aristotelis.*

¹²³ Quare] *lineam subductam om.* O.

tati nihil est contrarium nisi multa paucis dicat quis esse contraria i.e. non habebit aliquis quid contradicat nisi forte dicat multa et pauca esse quantitates et multa paucis esse contraria et magnum parvo. Sed patet ista non esse quantitates, quia eadem sunt multa et pauca, idem est magnum et parvum. Vel dicantur esses quantitates: multa pauci[[a]]vis/ non erunt contraria. Immo statuatur terminus quidam, et omnia quae erunt ultra sint multa, quae citra sint pauca. Similiter terminus quo quicquid maius est manum est, quicquid minus est parvum dicatur. <5b15> autem i.e. sed nihil horum i.e. nulla de numero harum proprietatum quantitas est, immo omnia ista – multum, parvitas, magnitudo etc. – spectant ad praedicamentum relationis. Et hoc est: sed magis ad aliquid¹²⁴ sunt. Et hoc probat: enim i.e. quia nil dicitur magnum per se i.e. non habito respectu ad aliud, sed ad aliquid refertur i.e. alterius respectu dicitur magnum. Et hoc probat nam mons quidem parvus, vero i.e. sed milium magnum. Et quare? eo quod i.e. quia hoc i.e. milium sit maius rebus sui generis i.e. rebus eiusdem maneriei, et mons dicitur parvus respectu rerum eiusdem maneriei, unde concedimus quod idem est magnum et parvum diversis respectibus.

Continuatio: Quandoquidem mons dicitur parvus, milium magnum, ergo ad aliud est eorum relatio i.e. respectu aliorum debent dici. Continuatio: Vere eorum relatio ad aliud est, nam si non dicerentur in respectu, numquam milium diceretur magnum et mons parvum, quia hoc tunc falso diceretur.

<5b22> Rursus. Hoc loco ostendit Auctor quod sicut magnum et parvum spectant ad praedicamentum relationis, ita multa et pauca, quoniam ista similiter respectiva sunt sicut et illa. Et hoc est: Rursus quidem in vico plures homines esse dicimus, in civitate autem pauci. Et hoc verum esse non posset, si plures essent in civitate quam in vico, nisi ista in respectu dicerentur. Et hoc est: cum sint i.e. quamvis sint illi qui in civitate sunt eorum multiplices i.e. multo plures illis qui sunt in vico. et: Alia ratio est similis ad idem ostendendum: et in domo quidem multos, in theatro paucos cum sint i.e. quamvis sint plures in theatro quam in domo.

<5b26> Amplius etc. Uno modo probavit Auctor quantitati nihil esse contrarium, alio modo probat idem. et est haec probatio talis: quaecumque significant relationem non pertinent ad praedicamentum quantitatis; sed ‘magnum’ et ‘parvum’, ‘multa’ et ‘pauca’ dicuntur in respectu; ergo non pertinent ad praedicamentum quantitatis, sed potius ad praedicamen-

¹²⁴ ad aliquid] aliquid ad O.

tum relationis. Et hoc est: Amplius i.e. ampliori ratione hoc idem ostenditur, per hoc sc. quod bicubitum et tricubitum et unumquodque talium quantitatem significat, quare pertinent ad praedicamentum quantitatis; magnum vero et parvum non significant quantitatem sed magis – elective – ad aliud i.e. relationem notant, quoniam ad aliud spectat magnum et parvum. <5b29> Quare – illatio est a praedictis – manifestum est quoniam haec ad aliquid sunt i.e. pertinent ad praedicamentum relationis.

<5b30> Amplius. Unam solutionem posuit Auctor. Aliam hic ponit. sive ista sint quantitates sive non, nihil erit quantitati contrarium, quia ista contraria non sunt, non enim habent absolutam positionem. Et hoc est: sive quis ponat i.e. licet aliquid dicat has esse quantitates sive non ponat, nihil eis erit contrarium. Et hoc probat: enim i.e. quia quod non est sumere per se ipsum i.e. quod non contingit sumi sine respectu sed ad solam alterius relationem refertur i.e. dicitur in respectu alterius quomodo huic aliquid erit contrarium? – quasi dicat: nihil enim quod in respectu dicitur habet contrarium. Et videtur quod si ista pertineant tantum ad praedicamentum relationis, /10vA/ quod inconvenienter dicatur ‘istud est magnum’ sicut ‘iste est similis’ nisi sic dicitur ‘istud est magnum ad illud’ vel ‘respectu illius’, licet hoc magis sit usitatum quam illud.

<5b33> Amplius. Hoc loco ostendit Auctor ista – ‘magnum’ ‘parvum’ – non esse contraria. Si quis enim diceret quod ista essent contraria, duci posset ad duplex inconveniens: ad tale ut fateatur contraria inesse eidem et secundum idem, et ad hoc inconveniens ut fateatur aliquid sibi ipsi esse contrarium. Et revera necessaria est probatio Auctoris si quis reciperet praemissa. Ad primum pervenitur sic: magnum et parvum contraria; sed cum idem sit magnum et parvum diversis respectibus, magnitudo et parvitas inerunt eidem; ergo contrari<a> in eodem. Item, si magnum et parvum essent contraria, et idem est magnum et parvum, ergo idem sibi ipsi contrarium; quod est impossibile. Et hoc est: si erit¹²⁵ magnum et parvum contraria continget i.e. hoc inconveniens accidet idem ipsum recipere contraria, et ea ipsa i.e. aliqua eadem sibimet esse contraria. Et hoc probat: Contingit enim i.e. constans est simul idem magnum esse et parvum, et hoc ostendit: enim i.e. quia aliquid est ad hoc quidem parvum i.e. respectu huius esse parvum ad aliud vero hoc ipsum magnum i.e. respectu alterius magnum. <5b37> Quare – illatio – idem esse magnum et parvum eodem tempore contingit, quare simul contraria suscipere i.e.

¹²⁵ erit] ita potius quam erunt O, sed compendium ambiguitate non caret.

contraria suscipit simul et simpliciter. Ecce primum inconueniens. sed nihil est: quasi dicat: hoc non potest esse, quia nihil est quod videatur simul contraria posse suscipere i.e. nihil in eodem tempore et simpliciter potest suscipere contraria. Et hoc probat, quia nec substantia, cuius proprium est esse susceptibilem contrariorum, ut habetur in praedicamento substantiae, et hoc est: ut substantia susceptibilis quidem contrariorum videtur esse, sed non in uno et eodem tempore suscipit contraria, nam nullus simul sanus et aeger nec albus et niger. Hic est manifeste contrarius illis qui dicunt quod idem potest esse sanum et aegrum simul. Quandoquidem substantia non suscipit contraria simul, manifestum est quod nihil aliud, et hoc est: nihilque aliud suscipiet¹²⁶ contraria; ita oportet ipsos concedere praedictum inconueniens. <6a4> et eadem sibi esse contraria i.e. iterum hoc inconueniens oportet eos concedere quod aliqua sibi ipsis sunt contraria. Et quomodo hoc sit ostendit: Nam si est magnum parvo contrarium, idem autem ipsum simul magnum et paruum, ipsi sibi erit contrarium. Littera levis est. Ita oportet eos concedere, sed impossibile est ipsum sibi esse contrarium, quare et illud ex quo hoc sequitur, et hoc est: non est ergo magnum parvo contrarium nec multa paucis. Quare: illatio, quasi dicat: quandoquidem ita est quod sive ista sint quantitates sive non, nihilominus tamen quantitati nihil erit contrarium; et hoc est: Quare et si i.e. quamvis haec non relativorum quilibet dicat, tamen quantitati nihil est contrarium.

<6a11> Maxime autem etc. Unam proprietatem quantitatis posuit Auctor, et contra hoc movit obiectionem circa haec nomina 'magnum' 'parvum' 'multa' 'pauca', et eam multipliciter solvit. Aliam hic ponit \obiectionem/ Auctor, et eius solutionem praetermittit propter quaestionis imbecillitatem. Et est obiectio talis: loco locus contrarius est; sed omnis locus quantitas est; ergo quantitas quantitati contraria est. Quod locus loco contrarius sit sic probatur: contraria sunt quae sub eodem genere posita maxime differunt; sed loci continentur sub eodem genere et maxime distant, ut centrum terrae et superior pars machinae mundanae; ergo illi loci contraria sunt.

Solutio: Loci differunt i.e. distant localiter, contraria differunt i.e. repugnantia sunt i.e. repugnantes habent effectus in subiectis. Et ita ae-

¹²⁶ suscipiet] s(us) O.

quivocatio impedit, et ideo contemnit Auctor ponere solutionem quia cuilibet facilis est solutio.

Continuatio: Ita nulla est instantia contra hoc quod quantitati nihil est contrarium, <6a11> autem i.e. sed maxime circa locum videtur esse contrarietas quantitatis /10vB/ i.e. maxime apparet i.e. maximam habet apparentiam circa locum contrarietas, sed non subest existentia. Et hoc ostendit: sursum enim et deorum contrarium ponunt i.e. quidam ponunt illum locum qui est in infimo esse contrarium illi qui est in supremo; ponunt hoc itaque¹²⁷ illi dicentes locum qui est in medio i.e. in infimo, quia medium mundi est locus infimus, esse locum deorsum. Et ostendit causam quare dicant quod ille locus contrarius sit supremo, et haec quidem est causa eo quod multa sit distantia medii ad terminos mundi. Et quod illi loci contrarii sint \ostendit/ per definitionem contrariorum, et hoc est: videntur autem proferre i.e. praedicare ab his i.e. de hiis definitionem i.e. descriptionem aliorum contrariorum i.e. contrariorum quae sunt alia ab his. <6a17> Quae¹²⁸ enim. Bene dico quod videntur assignare locis illis descriptionem contrariorum, cum tamen non assignent, enim i.e. quia determinant i.e. dicunt eorum i.e. illa de numero eorum quae a se invicem distant,¹²⁹ quae sunt sub eodem genere, esse contraria. Sed quia ad hoc quilibet potest solvere, ideo contemnit Auctor ponere solutionem.

<6a19> Sed non etc. Unum proprium quantitatis ponit Auctor quod convenit omni quantitati sed non soli (convenit enim, ut praedictum est, etiam substantiae), sc. non suscipere magis et minus. Proprietas suscipit magis et minus i.e. potest intendi et remitti; praedicabile suscipit magis et minus i.e. recipit has adverbiales determinationes 'magis' 'minus'; sed nec ipsa quantitas nec vocabulum quantitatis suscipit magis et minus, nihil enim magis vel minus bicubitum alio, nulla bicubitio maior vel minor alia.

Continuatio: Praedictum proprium convenit quantitati, et non tantum illud, autem i.e. sed quantitas videtur non suscipere magis et minus i.e. istud proprium similiter convenit quantitati, ut bicubitum i.e. bicubitio. Et hoc ostendit: neque enim est aliquid alio magis bicubitum. neque in numero, ut ternarius sc. non est magis numerus quinario. Et hoc probat: nil pro non enim magis tria dicentur quam quinque i.e. non dicetur quod numerus magis intendatur in ternario quam in quinario, nec tria potius quam

¹²⁷ itaque] ita quod O.

¹²⁸ quae] quem O.

¹²⁹ distant Arist.] dif. O.

tria i.e. non dicitur quod magis intendatur numerus in aliquibus tribus quam in aliis tribus. Ita contingit in praedictis quantitativis, et etiam ita est in tempore; et hoc est: nec tempus alio magis vel minus dicitur tempore i.e. tempus nec intenditur nec remittitur nec in his quae dicta sunt aliquid omnino magis et minus dicitur i.e. nulla species quantitatis suscipit intensionem et remissionem. Ex praedictis infert: Quare quantitas non suscipit magis et minus.

<6a26> Proprium autem etc. Positis pluribus propriis quantitatis ponit hic Auctor proprie proprium quantitatis, quod convenit omni et soli quantitati. Et est tale proprium: secundum eam dici aequale et inaequale.

Sed videtur quod nec nec conveniat omni nec soli quantitati. Non convenit omni, quia secundum numerum nihil dicitur aequale vel inaequale \alii/. Nulla dicuntur aequalia vel inaequalia \aliquibus/, si enim ista suo sunt aequalia [[sunt aequalia]] illis duobus quia et ista et illa participant binario, ergo ista duo minima erunt aequalia illis duobus maximis. Eadem ratione ego sum aequalis monti, quia et ego participo unitate et mons unitate; quod est inconueniens.

Ad hoc dicimus quod large accipitur hic hoc nomen ‘aequale’ vel ‘inaequale’, ut sit aequale vel inaequale participans aequalitate vel inaequalitate. Vel ideo quia Auctor iste graecus fuit, et translator nullum habuit nomen quod expressius idem /11rA/ significaret cum illo quod posuerat Auctor in graeco.

Item, videtur quod hoc proprium non conveniat soli quantitati. Aliquid enim aequale est alii aequalitate sicut aliquid est simile alii similitudine; et ita secundum aequalitatem aliquid alii est aequale; non tamen aequalitas quantitas est.

Ad hoc dicimus quod cum dicitur “aliquid est aequale alii secundum quantitatem”, haec praepositio ‘secundum’ notat causam effectivam i.e. quantitas istius est causa efficiens quare hoc sit aequale illi; sed cum dicitur “hoc est aequale illi secundum aequalitatem” haec praepositio ‘secundum’ notat causam informantem, i.e. aequalitas est causa informans hoc¹³⁰ ad aequalitatem illius. Et ita aliquid est aequale alii tantum secundum quantitatem, et aliquid est aequale alii tantum secundum aequalitatem; et ita haec dictio ‘secundum’ aequivoce accipitur. Similiter aliquid

¹³⁰ hoc] hunc O.

est simile alii tantum secundum qualitatem, et aliquid est simili alii tantum secundum similitudinem.

Et nota quod hic non tantum unum proprium assignatur quantitati sed duo, sc. secundum eam dici aequale et secundum eam dici inaequale. Quod ex eo patet quia utrumque istorum convertibile est cum quantitate, quia et quantitas omnis facit aequale, et quantitas omnis facit inaequale.

Continuatio: Praedicta diximus esse propria quantitatis, quorum nulum est ei proprie proprium, <6a26> autem i.e. sed maxime proprium quantitatis est i.e. tale proprium quod maxime convenit quantitati quod aequale et inaequale dicitur i.e. est¹³¹ effectiva aequalitatis et inaequalitatis. Et hoc probat: enim i.e. quia singulum earum quae dicta sunt quantitatium i.e. quaelibet praedictarum quantitatium dicitur aequale et inaequale i.e. aliquid secundum eas dicitur aequale et inaequale alii. Et hoc ostendit: ut corpus dicitur aequale et inaequale i.e. soliditas i.e. aliquid alii aequale secundum soliditatem, et numerus i.e. secundum numerum aequale et inaequale¹³² dicitur i.e. dicuntur esse¹³³ aliqua aequalia vel inaequalia aliis, et tempus aequale et inaequale i.e. aliquid secundum tempus †\qu./† dicitur aequale et inaequale alii. Similiter autem et in singulis aliis quae dicta <sunt> et aequale et inaequale dicitur. <6a30> In ceteris vero. Ita est in quantitate ibi, sed in illis quae pertinent ad praedicamentum qualitatis vel relationis secus se habet. Et hoc est: In ceteris vero quae quantitates non sunt non multum videtur aequale et inaequale dici. “Non multum” dicit quia quandoque ex usu solemus dicere ‘iste est aequalis illi in albedine’, sed improprie dicitur. Et hoc probat: nam neque affectio et dispositio i.e. qualitas aequalis et aequalis multum dicitur i.e. non dicitur aliquid alii aequale secundum albedinem, sed magis similis et album i.e. magis dicitur aliquid alii simile secundum albedinem. Et hoc est: aequale et inaequale non multum dicitur sed magis similis. Quare. Ex praedictis infert: quare quantitatis proprium i.e. proprie proprium quantitatis est aequale et inaequale nominari i.e. quod secundum eam aliquid dicatur aequale et inaequale alii.

¹³¹ est] ist O a.c.

¹³² aequale et inaequale] e. et inaequale O; aequalis et inaequalis Arist.

¹³³ esse] lectio incerta

<7.6a36> <A>D ALIQUID VERO etc.

Post quantitatem et ante qualitatem agit Auctor de relatione, et ideo quia media est relatio inter quantitatem et qualitatem. Surgit enim quaedam relatio ex quantitate, ut aequalitas et inaequalitas, quaedam ex qualitate, ut similitudo vel dissimilitudo. Vel ideo post quantitatem agit statim de relatione quia in praedicamento quantitatis fecerat Auctor mentionem de quibusdam relativis – sc. ‘multa’ ‘pauca’ ‘magnum’ ‘parvum’ – ne diu suspendatur animus auditoris,¹³⁴ et ut pateat haec esse relativa agit de relatione. Vel ideo fortasse quia aliquid est commune substantiae, quantitati, relationi, sc. eis nihil esse contrarium, et ideo simul agit de his.

Agit autem de relatione hoc modo: primo nimis amplam ponit relativorum descriptionem, secundo latenter obicit contra illam, tertio apertius, quarto ponit veriore descriptionem et eam prosequitur, quinto et ultimo solvit obiectiones contra [[illam obiec]] \descrip/tionem, et sic terminat tractatum de relatione.

Notanda est hic differentia inter haec quattuor nomina ‘relatio’, ‘relativum’, ‘relatum’ et ‘relativitas’. Relatio est genus generalissimum in hoc praedica/11rB/mento de quo hic intendimus; relatio est omnis et sola illa proprietas cuius esse est ad aliud se habere. Relatum est subiectum relationis, sc. ipsa res quae significatur per relativum. Relativum est ipsum nomen. Relativitas est proprietas quae [est] inest nomini ex eo quod ipsum copulat vel appellat relationem, ut proprietas illa quae inest huic nomini ‘pater’ ex eo quod ipsum copulat vel appellat relationem, quae ficto nomine potest nuncupari relativitas. In grammatica aliter etiam dicitur relatio antelatae significationis repraesentatio, sed hoc nihil ad praesens.

Ponit Auctor hoc nomen ‘ad aliquid’ pro hoc genere ‘relatio’, et est nomen compositum utriusque numeri, communis generis et omnis casus; est enim verum de proprietate quod ipsa est ad aliquid et de relato quod est ad aliquid et de nomine quod ipsum est ad aliquid.

Continuatio. Praedicta dicuntur quantitates, <6a36> vero i.e. sed talía dicuntur ad aliquid i.e. illa dicuntur relativa quaecumque dicuntur aliorum i.e. quaecumque referuntur ad alia designata vel per genitivum vel per ablativum – quandoque enim refertur aliquid ad aliud per genitivum, ut ‘pater filii pater’; quandoque per ablativum, ut ‘maius minore maius’ – hoc ipsum quod sunt i.e. per propriam vocis essentiam – refertur enim

¹³⁴ auditoris] auctoris O a.c.

aliquid ad aliud quandoque per vocem inferiorem, ut caput hominis pars: non enim quaelibet pars hominis est caput; per vocem superiorem, ut substantia hominis pars, omnis enim pars hominis est substantia, sed non convertitur; per propriam vocis essentiam, ut servus domini – vel quomolibet aliter ad aliud i.e. per quemcumque alium casum, sive per genitivum ut 'filius patris filius', sive per ablativum ut 'scibile scientia scibile', sive per dativum ut 'similis illi', sive per accusativum ut 'magnus ad illum'; ut maius i.e. hoc comparativum 'maius' dicitur alterius i.e. refertur ad aliud hoc ipsum quod est i.e. per propria<m> vocis essentiam, ut maius minore maius. Et hoc est: aliquo enim maius dicitur aliquid sc.

Nota: hoc comparativum 'maius' duas significat relationes, quia magnitudinem ex natura positivi, et omnis magnitudo relationem significat; etiam excessum in magnitudine ex natura comparativi, et omnis excessus relatio; et ita duas relationes. Similiter hoc comparativum 'albior' albedinem ex natura positivi, excessum in albedine ex natura comparativi.

Sed quaeritur utrum significet principaliter, utrum sc. [[h]]\con/tineatur in praedicamento qualitatis quia significat albedinem, vel in praedicamento relationis quia excessum in albedine. Ptet quod omne sumptum subiectione continetur in praedicamento substantiae, significatione potest dici vel quod continetur in praedicamento qualitatis vel in praedicamento relationis. Vel melius dicatur quod hoc comparativum 'albior' illa duo significat ita quod neutrum illorum, et continetur in illis duobus praedicamentis ita quod in neutro illorum.

<6a39> et duplum dicitur alterius i.e. aliquid dicitur duplum ad aliud hoc ipsum quod est i.e. secundum propriam vocis essentiam duplum est relativum et eius correlativum est subduplum. Haec est differentia inter [inter] dimidium et subduplum: subduplum est illud quod alio duplo minus est, sive ipsum sit pars illius sive non. Dimidium est aliquid ad aliud quod ipso duplo minus est et est pars ipsius. Similiter et alia i.e. alia nomina sunt relativa quaecumque sunt huiusmodi.

<6b2> At vero etc. Exemplificavit Auctor de veris relativis, i.e. de talibus quae relativa erant et secundum ipsum Auctorem et secundum Platonicos, qui \fuerant/ auctores praedictae nimis largae descriptionis. Hoc facto agit de aliis quae revera non sunt relativa sed secundum praedictam descriptionem videntur esse relativa. Et hoc est: non solum praedicta sunt relativa at vero i.e. sed sunt etiam et haec ad aliquid i.e. sunt

etiam haec relativa /11vA/ – non secundum se hoc dicit Auctor sed secundum Platonicos – <6b2> ut habitus.

Patet quod habitus relatio non est, habitus enim est species qualitatis per applicationem veniens subiecto difficile mobilis, unde dicitur inferius: una species qualitatis sunt habitus et dispositio; sed nulla qualitas relatio est; ergo habitus relatio non est.

Item, habitus est genus generalissimum in praedicamento habere, sc. proprietas pertinendi ad munimentum vel ornamentum corporis, et illa copulatur per haec nomina ‘armatus’ ‘calciatus’; sed nullum generalissimum sub alio continetur; quare habitus non continetur in praedicamento relationis.

Item, habitus est proprietas, sc. qualitas illa quae opposita est privationi; patet etiam quod secundum hoc non est relatio, cum nulla qualitas sit relatio.

Ad haec dicerent Platonici quod prout habitus est species qualitatis est relatio. Dicebant enim quod disciplina continetur sub relatione <quia> species eius (grammatica, dialectica) sunt <in> praedicamento qualitatis. Ad cuius improbationem induxit Auctor superius hanc regulam “Si alterum [[si]] de altero ut de subiecto, quicquid de praedicato et de subiecto”.¹³⁵

<6b2> affectus. Similiter affectus qualitas est. disciplina, disciplina etiam qualitas, et est disciplina habitudo discipuli ad magistrum, doctrina est habitudo magistri ad discipulum. Hoc nomen ‘doctor’ potest pertinere vel ad praedicamentum relationis, et tunc non dicitur aliquis doctor nisi habeat discipulos; vel ad praedicamentum qualitatis, et copulabit qualitatem quae est effectus relationis, et tunc dicitur doctor vel magister quicumque fuit vel sufficiens est et paratus ad hoc ut sit.

<6b3> positio. Positio est genus generalissimum in praedicamento situs. Ista enim ad alia referuntur per genitivum casum, ut ‘habitus habentis habitus’ [[habitu habenti habitu]] ‘affectus affecti affectus’, ‘disciplina disciplinati disciplina’, ‘positio positi positio’. Et probat quod ista referuntur ad alia, enim i.e. quia haec quae dicta sunt, in proximo sc., referuntur ad alia i.e. dicuntur in respectu aliorum hoc ipsum quod sunt i.e. per propriam vocis essentiam et non aliter aliquid i.e. non per alium casum.

¹³⁵ Arist. *Cat.* 3.1b10-12

Hoc videtur falsum; dicitur enim 'disciplinatum disciplinâ disciplinatum'.¹³⁶ Ideo dicendum quod Auctor dixit hoc habito respectu ad Graecum idioma, quia Graeci ablativo carent; ubi ergo nos ponimus ablativum, illi ponunt genitivum, et ubi nos dicimus 'disciplinatum disciplinâ disciplinatum', dicebant Graeci 'disciplinatum disciplinae disciplinatum'.

Et probat quod ista referuntur ad alia per genitivum casum dicens <6b4> habitus enim alicuius est habitus et disciplina alicuius disciplina, positio alicuius positio. Et non tantum ista dicuntur esse relativa secundum eorum assignationem, quae sc. per genitivum casum referuntur, sed et alia quidem similiter; et quandoquidem talis descriptio debet eis convenire, ergo illa sunt ad aliquid quaecumque id ipsum quod sunt aliorum dicuntur i.e. per propriam vocis essentiam et per genitivum casum ad alia referuntur, vel quomodolibet aliter ad aliquid i.e. per quemcumque alium casum. Et exemplificat de quibusdam quae per ablativum referuntur ad alia, ut mons dicitur magnus ad alium montem, magnum enim ad aliquid dicitur i.e. relatum est. Et consequenter exemplificat de his quae referuntur ad alia per dativum¹³⁷ casum: et simile alicui simile. Et obicit Auctor latenter contra praedictam descriptionem dicens et omnia talia similiter i.e. sicut praedicta ad aliquid dicuntur. Sunt autem accubitus et sessio et statio positiones quaedam i.e. species positionis, positio vero ad aliquid est ut praediximus, ergo et sessio et statio et alia quae sunt eius species. <6b12> Iacere <et>c.: ostendit Auctor quare posuerit ista nomina 'accubitus' 'sessio' et alia et non ista 'iacere' 'stare', quoniam illa principalia sunt et ista sumpta; et hoc est: Iacere autem vel stare vel sedere ipsa quidem positiones non sunt sed denominative sumpta a positionibus; et hoc est: vero i.e. sed denominative dicuntur ex his quae dictae sunt positionibus.

De istis 'stare' 'sedere' manifestum est quod sint denominative sumpta, sed de hoc 'iacere' non videtur, quia ad hoc quod aliquid sit denominative sumptum oportet /11vB/ quod sumatur a proprietate et conveniat cum nomine proprietatis in principio et differat in fine. Sed haec dictio 'sedere' differt et in principio et in fine. Huius solutio haec est quod auctor iste Graecus fuit, et in Graeco idiomate ita est quod aequipollens huius verbi 'iacere' convenit in principio et differt in fine cum aequipollente huius dictionis 'accubitus', et translator non habuit <aliud> vocabulum quod competenter posset ponere quam istud 'iacere'.

¹³⁶ disciplinatum] disciplinanti O.

¹³⁷ dativum] genitivum O.

<6b15> Inest autem etc. Hoc loco improbat Auctor praedictam descriptionem. deducit enim Platonicos ad tale inconueniens quod relationi aliquid erit contrarium. Quod hoc sit inconueniens patet ex verbis Auctoris, qui ait superius “quod autem non est per se sumere sed solum ad respectum¹³⁸ alterius dicitur quomodo huic aliquid erit contrarium?” Et hoc est: non solum ex praedicta descriptione pervenitur ad praedictum inconueniens autem i.e. sed pervenitur ad aliud quod contrarietas est in relatione i.e. ad relativum alii contrarium, sc. secundum platonicos, ut virtus vitio contrarium cum utrumque sit ad aliquid i.e. cum utrumque sit relativum secundum eos, est enim virtus virtuosus virtus, et virtuosum virtute virtuosum, et vitium vitio vitium et vitiosum vitio vitiosum.¹³⁹

Dicimus quod virtus vitio contraria est, sed non quaelibet virtus cuilibet vitio: sunt enim in eodem virtus et vitium, ut castitas et avaritia, ergo contraria essent in eodem. Ideo dicimus quod quaelibet virtus alicui \vitio/ contraria est, et quodlibet vitium alicui virtuti, ut castitas luxuriae, avaritia prodigalitati, parcitas largitati. Sumpta etiam ab his contraria sunt in quadam sua significatione, sc. prout notant plenitudinem, nihil enim idem plenum est virtutibus et vitiis, et ita nihil idem virtuosum et vitiosum, quia omnia nomina in -osus desinentia notant plenitudinem; virtuosum etiam dicitur participans virtute vel virtutibus, vitiosum participans vitio vel vitiis, secundum hoc non sunt contraria, quia idem participat virtute et vitio. Virtus est habitus animi optimus, sed habitus qualitas est, ergo virtus qualitas est.

Continuatio: Ita virtus vitio contrarium est <6b16> et disciplina ignorantiae, ut praediximus, disciplina scientia est, et scientia qualitas, cum tamen velint Platonici quod disciplina sit relatio, et est disciplina habitudo discipuli ad magistum, et secundum hoc potius concederem quod esset relatio. Continuatio: Ita praedictis relativis inest contrarietas, <6b17> autem i.e. sed non omnibus relativis inest contrarietas, enim i.e. quia duplici i.e. duplicitati nihil est contrarium, neque triplici i.e. neque triplicitati neque ulli talium i.e. neque alicui verorum relativorum.

¹³⁸ respectum] relationem O a.c. Cf. Arist. 5b32: ad solam alterius relationem

¹³⁹ est enim – vitiosum post dicimus quod virtus vitio contraria est sed non quaeli cum scripsisset librarius, signis ordinem restituendum indicavit.

<6b19> Videtur autem. Assignat Auctor quandam proprietatem relationi quae nec convenit nec soli relationi, sc. suscipere magis¹⁴⁰ et minus. Proprietas¹⁴¹ suscipit magis et minus, i.e. potest intendi et remitti, cum enim una similitudo intensior alia, et vox ipsa suscipit magis et minus i.e. has determinationes 'magis' 'minus', ut 'istud est magis simile illi quam aliud', unde et comparatur 'similis, similior, -limus'.

Non convenit hoc omni relationi, ut dicet Auctor inferius, nec soli, quia etiam \cuidam/ quantitati/.

Dubitatur secundum quid attenditur intensio similitudinis. Super hoc duplex est opinio. Prima est quod attenditur secundum pluralitatem proprietatum in quibus aliquid est simile alii, ut si quis alii similis sit in grammatica, et alius alii in grammatica et musica, ille qui in pluribus est alii similis est magis similis quam alius. Alia est quod similitudo attenditur secundum intentionem cuiuscumque proprietatis efficientis similitudinem inter alia. Secundum hoc iste est similior alii illo qui in una proprietate est similior illi, licet ille sit ei similis in pluribus. Et secundum hoc accidere potest quod aliquis sit simillimus alii, et tamen alius eo similior secundum proprietates diversas. Si autem opponitur quod per superabundantiam dicitur uni soli habet convenire, dicimus quod intelligendum est respectu eiusdem, sed iste non est simillimus illi et ille isto similior respectu eiusdem proprietatis, sed respectu diversarum, /12rA/ ut iste est primus in ordine, ille est primus <***> diversis respectibus.

Continuatio. Ita hoc relativum 'simile' suscipit magis et minus <6b21> et inaequale magis et minus dicitur, ut tricubito magis inaequale est monocubito quam bicubito, cum si[n]t utrumque relativum, et probat quod utrumque est relativum simile enim alicui simile dicitur et inaequale alicui inaequale i.e. ista in respectu dicuntur, non autem omnia relativa suscipiunt magis et minus, et hoc ostendit: duplex enim i.e. duplum non dicitur magis et minus i.e. aliquid [[n]] \.../¹⁴² dicitur magis vel minus duplum alio neque aliquod talium i.e. nec aliquod talium suscipit magis et minus. Hoc nomen 'duplex' quandoque copulat pluralitatem essentialium, ut 'duplex vestis', quandoque pluralitatem officiorum, ut 'duplex homo' qui aliud gerit in mente et aliud in ore.

¹⁴⁰ magis] maius O a..c.

¹⁴¹ proprietas] an relatio scribendum?

¹⁴² ...] vm cum lineola supra m O ut videtur.

<6b28> Omnia autem. Incepit Auctor latenter improbare sententiam Platoniorum, hic manifestius eam improbat. ponit enim quiddam quod convenit omnibus veris relativis, sed non convenit relativis Platoniciis, ex quo accidit ipsa non esse relativa. Si enim hoc convenit omnibus relativis et non illis, ergo illa non sunt relativa. Et est positum Auctoris tale: [ea]¹⁴³ dici ad convertentia, haec locutio tria importat, sc. quod ipsa mutuo referuntur ad se, ut ‘pater filii pater’, ‘filius patris filius’; et quod ipsa sunt simul naturâ, nullum enim est causa alterius, nec enim paternitas est causa filiationis nec filiatio causa paternitatis. Non nego quin appellatum huius sit causa appellati illius, sed significatio huius non est causa significationis illius, i.e. proprietas significata per unum non est causa proprietatis significatae per aliud, nec enim prius est filiatio quam paternitas nec paternitas prius quam filiatio. Et quod ipsa mutuo se perimunt, i.e. perempta proprietate unius perimitur proprietas alterius, ideo sic expono, quia posito quod iste sit servus duorum ita quod neutrius, dicimus quod servus est, non tamen dominus est, et tamen proprietas designata per hoc nomen ‘dominus’ est, sc. dominium, et illa proprietas inest illis duobus ita quod neutri illorum. Nihil enim prohibet etiam simplicem proprietatem inesse duobus ita quod eorum neutri, ut paucitas, cum sit simplex proprietas inest pluribus ita quod eorum nulli, et multitudo cum sit simplex proprietas inest multis ita quod eorum nulli. Accipiantur haec nomina ‘pater’ ‘filius’ sine discretione sexus.

Continuatio. Non solum praedictae proprietates conveniunt relationi, <6b28> autem i.e. sed omnia relativa ad convertentia dicuntur i.e. respectu aliorum quae sibi convertuntur, et nota quod hoc participium ‘convertentia’ cum deberet poni in activa significatione ponitur in passiva, sicut alibi “frangentia litora”¹⁴⁴ non quae frangunt sed quae franguntur, et similiter “volventia plaustra”¹⁴⁵ quia volvuntur. Et exemplificat de illis quae ad convertentia dicuntur ut servus domini servus dicitur et dominus servi dominus et duplum dimidii duplum et dimidium dupli dimidium.

Dicimus quod incongrue exemplificavit Auctor de hiis ‘duplum, dimidium’ \((sed “dimidium” ponitur loco huius ‘subduplum’ ut “duplum subdupli duplum” et econverso)/, quia duplum non est relativum dimidii. Quod patet: posito quod Socrates sit aequalis Platoni, Socrates est duplus

¹⁴³ ea] post hanc vocem 1-2 litterae erasae sunt.

¹⁴⁴ Statius, *Thebais* 2.43

¹⁴⁵ Vergilius, *Georgica* 1.163

ad medietatem Platonis; ergo illa medietas est dimidium Socratis; ergo est medietas Socratis. Dicimus quod duplum subduplo correlativum.

Sed quaeritur: Dimidium continetur in aliquo praedicamento significatione? Dicimus quod in praedicamento relationis, et eius correlativum sumimus cum hac circumlocutione 'totum duplum', ut si istud est totum et duplum illius, illud erit dimidium istius; est enim differentia inter duplum et dimidium quam praediximus.

Et nota quod medietas [[quod]] non dicitur respectu alterius medietatis sed respectu totius, sicut pars respectu totius. Ut posito quod hic sit virga divisa in quattuor quartas¹⁴⁶ ita ut partes sibi cohaereant, sumatur illa pars quae constat ex duabus mediis quartis: ista virga est dupla ad hanc partem et illa pars est subdupla ad hanc virgam, ergo est medietas huius virgae, sed non respectu alterius medietatis sed respectu totius, quia nulla medietas constat ex duabus aliis quartis.

Circa descriptionem huius nominis 'medietas' imminet quaedam difficultas his qui dicunt quod homo est corpus et anima. Demonstratur medietas Socratis: haec pars est subdupla ad hoc totum, ergo /12rB/ est medietas huius, et altera pars et subdupla ad hoc, ergo medietas huius, et /ita/ istae duae partes sunt medietates huius; ergo sufficienter constituunt hoc totum. Eis relinquitur solutio.

<6b31> et maius minore maius, et minus maiore minus. Prosequitur Auctor de his quae dicuntur ad convertentia. Patet quod ista non sunt correlativa, omne enim comparativum significat relationem quae pertinet ad superpositionem, sed cuiuslibet superpositionis correlatio est suppositio, et ita nullum illorum alteri est correlativum. Solutio: omne comparativum relativum est, et eius correlativum est positivum eius sumptum cum hoc adverbio 'minus' \vel hoc 'magis'/. Sed cavendum est etiam in sumptione huius adverbii 'minus', quia hoc adverbium 'minus' quandoque significat parvitatem cum excessu, et hoc prout est comparativum; quandoque significat excessum simpliciter et nihil cum excessu, et hoc quando comparativum sic exponitur "minor i.e. minus parvus", sicut et hoc adverbium 'magis', ut "maior i.e. magis magnus", ibi enim significat 'magis' excessum simpliciter. Et sic [[in(?)]] accidit in praemissis exemplis. Resolvendum est ergo \comparativum/ in suum positivum et 'magis' vel 'minus'

¹⁴⁶ quartas] quadras O.

adverbium, ut “‘maius minore maius’ i.e. maius minus parvo maius” et “‘minus maiore minus’ i.e. minus minus magno minus”.

Et non solum hoc contingit in his quod ipsa dicuntur ad convertentia, <6b32> autem i.e. sed similiter et in aliis idem contingit, sed casu aliquotiens differunt i.e. non per eundem casum ad se referuntur illa de quibus subiungit sicut et praedicta, secundum locutionem i.e. exigente regula loquendi; et ostendit quomodo: ut disciplina disciplinati dicitur disciplina et disciplinatum disciplina disciplinatum, et ita disciplinatum per ablativum casum refertur ad disciplina<m>, disciplina ad disciplinatum per genitivum.

Nota quod hic volebant quidam Auctorem arguere incongruitatis ex eo quod graeci ponunt genitivum ubi nos ponimus ablativum, et ita praedicta etiam apud graecos referuntur in eodem casu. Solutio patet ex eo quod dicit Priscianus \in secundo Constructionum/¹⁴⁷ graecos quandoque ponere dativum ubi nos ponimus ablativum, ut in praedicto exemplo.

<6b35> et sensus sensati sensus et sensatum sensu sensatum. Sicut nomina verbalia in -io terminantia derivata a verbis activis significant actionem et passionem, ita nomina in -us desinentia, ut ‘sensus’ aequivocum est; potest enim dici ‘sensus inest huic lapidi’ quia sensus passio, et ‘sensus inest huic animali’ quia sensus actio. In utraque significatione potest hic accipi ‘sensus’. ‘Sensatum’ similiter aequivocum est ad illud cui inest sensus actio et ad illud cui inest sensus passio.

<6b36> At vero. Assignavit Auctor tale proprium quod convenit omnibus relativis, et ponit quaedam quae non sunt vera relativa, et eis non convenit illud proprium, et per hoc probat illa¹⁴⁸ non esse relativa. Dicebat Plato illa nomina quae ad se referuntur per propriam vocis essentiam esse relativa, ut ‘ala avis ala’. Sed non convertitur, non enim avis alâ nec alae est avis, ut si deplumetur; ergo illa non sunt relativa, immo potius haec deberent esse ‘ala alati ala’ ‘alatum alâ alatum’. Rei veritas est nec haec nec illa esse relativa. Et hoc est: Praedicto modo convertuntur relativa sibi invicem, vero i.e. sed aliquotiens non videtur converti nisi convenienter assignetur ad quod dicitur i.e. nisi conveniens fiat assignatio, si enim peccet qui assignat i.e. si aliquis in assignatione ut ala avis ut sc. talem faciat assignationem ‘ala avis ala’ non convertitur ut sit avis ala, non enim prius convenienter assignatum est ala avis. Et hic ostendit quare: enim i.e. quia

¹⁴⁷ Priscianus, *Inst.* 18.2.28

¹⁴⁸ illa] illud O a.c.

[[a]] neque in eo quod avis est in eo avis ala dicitur sed in eo quod alata est, multorum enim animalium alae sunt quae non sunt aves ut serpentes et huiusmodi. <7a3> Quare. Ex praedictis illatio: si assignetur convenienter et convertitur ut ala alati ala et alatum ala alatum.

<7a5> Aliquotiens etc, Hic docet Auctor quod quando penuria vocabulorum impedit conversionem <oportet> fingere nova nomina ut¹⁴⁹ fiat conversio. Et hoc est: Aliquotiens autem et forte nomina necesse erit fingere; “forte” dicit quia in quibusdam non oportet; necesse est, inquam, si non fuerit nomen positum i.e. impositum¹⁵⁰ ad significandum /12vA/ ad quod convenienter assignetur i.e. ad quod possit fieri conveniens assignatio ut remus si navis assignetur non erit conveniens assignatio. Et hoc patet in conversione: non enim in eo quod navis est remus eius dicitur, non enim sequitur si navis est quod remus sit. Et hoc ostendit dicens sunt enim naves quarum remi non sunt i.e. sunt quaedam naves quae nullos habent remos, quare non convertitur i.e. non est compe[[pe]]tens conversio. Et hoc probat: navis enim non dicitur remi naves. Sed forte convenientior assignatio erit si sic quodammodo assignetur ‘remus remiti remus’ vel quomodo aliter dictum sit i.e. alio modo dici potest; potest enim aliud quod nomen fingi ad quod referatur hoc nomen ‘remus’; enim i.e. quia nomen non est positum i.e. nondum est impositum ad significandum idem quod significat haec dictio ‘remitum’; convertitur autem si convenienter assignetur, enim i.e. quia remitum est remo remitum. Similiter autem et in aliis quae sc. convenienter sumuntur invenitur conversio. Et exemplificat de illis: ut ut nomen caput convenientius assignabitur capitati quam \si/ animalis assignetur. Et hoc probat: neque enim in eo quod animal est caput habet, non enim sequitur ‘si est animal habet caput’, multa enim animalia sunt capita non habentia ut ostrea et huiusmodi.

<7a18> Sic autem. Docet Auctor \scientiam/ inveniendi vocabula: si vis invenire vocabulum quod ad aliud¹⁵¹ convertatur, debes inflectere illud ab illo quod in usu est iuxta proprietatem et vocis et significationis. Et hoc est:: Sic autem facilius fortasse sumitur quibus non est nomen positum i.e. vocabula quae deficiunt, si nomina ponantur i.e. instituantur ab eis quae prima sunt i.e. quae prius instituta fuerunt ad significandum et i.e. ab his quae convertuntur i.e. quibus debet assignari conversio, ut in his quae praedicta sunt, ut ab ala sumitur alatum, a remo remitum. <7a22> Om-

¹⁴⁹ ut] et O.

¹⁵⁰ si non fuerit nomen positum i.e. impositum] si non fuerint no. po. i.e. imposita O.

¹⁵¹ aliud] aliqua O.

nia¹⁵² ergo. Quandoquidem ita est quod ista suo sunt impedimento conversionis huiusmodi, sc. inconveniens assignatio et penuria vocabulorum, ergo omnia quae ad aliquid dicuntur si convenienter assignentur ad convertentia dicuntur i.e. mutuam habent conversionem, nam si ad quodlibet aliud assignentur et non ad aliud dicantur i.e. si non recte fuerit facta assignatio non convertuntur. Ita est in praedictis quae secundum quorundam opinionem sunt relativa, autem i.e. sed dico quod similiter contingit in illis quae vere relativa sunt, quoniam neque eorum quae indubitanter convertibilia sunt i.e. sunt relativa et nomina eis sint posita, nihil convertitur i.e. nullum eorum convertitur si <ad> aliquid eorum quae sunt accidentia assignetur et non ad ea quae dicuntur i.e. ad quae vere debent referri. Et exemplificat de illis ubi fit inconveniens assignatio ut servus si assignetur non domini sed hominis i.e. si referatur ad hoc nomen 'homo' et non ad hoc 'dominus', non convertetur quia inconveniens erit assignatio, aut bipedis i.e. ad hoc nomen 'bipes' aut alicui talium i.e. ad quae non potest referri. Et ostendit causam: non enim conveniens est assignatio. Et nota quod hoc loco dicuntur accidentia i.e. extranea.

<7a31> Amplius. Dixerat Auctor superius quod prava assignatio impedit correlationem aliquorum. Hoc loco docet quandam cautelam per quam potest percipi quando sit prava assignatio et quando non, sc. quod sumatur aliquod nomen quod dicitur in respectu, et sumatur aliud, et ab \utroque/ [[eo]] circumscribantur per abstrahentem intellectum omnes proprietates quae in e[[o]]is/ non intelliguntur; si peremptis omnibus aliis ipsa non perimuntur, erunt relativa; si alterum perimitur, non erunt relativa. Verbi gratia, sumantur ista duo nomina 'dominus' 'servus' et removeantur \ab utroque/ omnes proprietates quae in eis non intelliguntur, ipsa nomina relativa erunt et ad se mutuo referentur. Sed si sumantur /12vB/ ista duo nomina 'servus' 'homo' et removeantur ab hoc nomine 'homo' omnia alia quae in ipso non intelliguntur, removebitur dominium; sed perempto dominio perimetur servus; ergo ista 'homo' 'servus' non sunt vere relativa.

Et hoc est.: <7a31> Amplius i.e. amplior ratio est ad dinoscendum utrum aliqua sint relativa si convenienter assignetur ad id ad quod dicitur i.e. si convenienter assignetur correlativum alicuius omnibus aliis circumscriptis quaecumque accidentia sunt i.e. quaecumque in ipso nomine non

¹⁵² omnia *Arist.* J magis O.

intelliguntur, vero i.e. sed relicto illo solo ad quod assignatum est i.e. relicto solo illo nomine ad quod refertur semper ad ipsum dicitur, ut si servus ad dominum dicatur i.e. hoc nomen 'servus' referatur ad hoc nomen 'dominus' circumscriptis omnibus quae sunt accidentia domino i.e. illis quae non intelliguntur in hoc nomine 'dominus', ut esse bipedem vel scientiae susceptibilem vel hominem, nullum enim istorum intelligitur in hoc nomine 'dominus', nullus enim in eo quod est dominus est animal vel homo vel bipes; circumscriptis, inquam, istis relicto vero hoc solo quod dominus i.e. relicto hoc solo nomine 'dominus' semper servus i.e. hoc nomen 'servus' ad ipsum dicitur i.e. erit correlativum eius. Auctor, ut praedictum est, utitur his nominibus 'servus' 'dominus' absque discretione sexus. Bene dico quod ad ipsum semper refertur, <7a339> servus enim semper domini servus est; et ita perpendi potest quod ista correlativa sunt 'servus' 'dominus'. Sed si aliter fiat non ita continget, et hoc est: vero i.e. sed si servus non dicatur convenienter ad id ad quod dicitur i.e. non convenienter fiat assignatio huius nominis 'servus' ad aliquid circumscriptis omnibus aliis, relicto vero illo solo ad quod dictum est i.e. ad quod relatum est inconvenienter, non dicitur ad ipsum, verbi gratia assignetur enim servus hominis et ala avis, circumscribatur ab homine esse dominum, non enim servus iam ad hominem dicitur. Et hoc probat: quia cum dominus non sit, servus non est. <7b7> Similiter autem et de avi i.e. de hoc nomine 'avis' si circumscribatur alatum esse i.e. hoc nomen 'alatum' non erit ala ad aliquid i.e. amplius non continget invenire aliquod nomen ad quod referatur hoc nomen 'ala'. Et hoc probat: cum enim non sit alatum i.e. si de/pereat hoc nomen 'alatum', non erit ala alicuius i.e. non referetur ad aliquid. <7b10> Quare. Ex praedictis infert: oportet assignari aliquid ad quod convenienter dicitur i.e. oportet tale relativum assignare ad quod fiat conversio conveniens, et si sit nomen positum i.e. institutum, facilis erit assignatio i.e. de facili poterunt correlativa assignari, autem i.e. sed si non sit i.e. si nomen non sit institutum, fortasse erit necessarium fingere nomina. Si autem sic reddantur i.e. si fiat conveniens assignatio, manifestum est quoniam omnia correlativa conversim dicuntur.

<7b15> Videntur autem etc. Dixit Auctor superius relativa dici ad convertentia. In eo quod est dici ad convertentia intelligitur ea simul esse natura. Inde est quod Auctor hic dicit relativa simul esse natura. Illa sunt simul naturâ quae sunt in eodem instanti, et neutrius existentia praecedit existentiam alterius, et neutrum causa est alterius. Sunt quaedam simul

tempore quae non sunt simul naturâ, ut faber et opus fabri, quia existentia fabri praecedit existentiam operis sui. Quaedam sunt simul tempore et existentia unius non praecedit existentiam alterius, non tamen sunt simul naturâ, ut actio inferens et passio illata, quia actio est causa passionis.

Hic solet obici: posito quod unus solus homo sit, et ille est magnus, ergo respectu alicuius; sed non respectu hominis qui sit, et ita respectu hominis qui fuit vel qui erit; ergo illae relationes non sunt simul naturâ. Dicimus quod iste est magnus respectu alicuius rei vel respectu alicuius suarum partium.

Item, Adam fuit prior Noe, ergo Noe fuit posterior Adam; et numquam fuit Adam quin quaelibet eius proprietas esset, numquam Noe quin quaelibet eius proprietas /13rA/ esset; sed Adam et Noe numquam fuerunt in eodem instanti; ergo correlationes ipsorum non sunt simul tempore; ergo nec simul naturâ. Ad hoc dicimus quod nihil fuit prius alio nisi illa fuerunt¹⁵³ in eodem instanti; Adam non fuit prior Noe, nec hodierna est prior crastina.

Item, videtur quod aliqua sint simul naturâ et non sint simul naturâ, ut duplum, dimidium; dimidium enim et duplum ad se referuntur, et ita sunt relativa; ergo sunt simul naturâ. Item, aliquid in eo quod est dimidium dupli est pars eius, et in eo quod est pars est prius illo natura, omne enim constitutens naturaliter prius est suo constituto; ergo dimidium natura prius est quam duplum. Et ita aliqua sunt simul naturâ et non sunt simul naturâ. Solutio: 'dimidium' 'duplum' sunt simul naturâ, et unum tamen prius est alio naturâ, non eâdem sed aliâ, sicut contingit quod aliquid est simile et dissimile alii secundum diversas proprietates.

Continuatio: Non solum praedicta videntur convenire relativis <7b15> autem i.e. sed videntur ad aliquid i.e. relativa simul esse natura i.e. quod posita se ponant et perempta se perimant et in aliis quidem pluribus verum est ipsa simul esse natura. Et hoc probat: simul enim duplum et dimidium i.e. subduplum. Et probat quod ista posita se ponunt et perempta se perimunt. Et hoc est: cum sit dimidium, duplum est; et cum sit servus, dominus est absque distinctione sexus utitur Auctor his nominibus

¹⁵³ fuerant **O** a.c. ut videtur.

‘servus’ ‘dominus’ pro his ‘serviens’ ‘dominans’, et hoc etiam sine discretionem casuum, ut ‘dominantis’ dicatur ‘dominans’ vel ‘dominantes’. Et non tantummodo in istis contingit hoc, sed similiter i.e. simili modo se habent et i.e. etiam his similia. Simul autem haec auferunt sese invicem i.e. destructionem unius sequitur destructio alterius. Et hoc probat: si enim non sit duplum non est dimidium, et si non sit dimidium non est duplum i.e. si perimatur duplum perimitur subduplum et econverso. Et non tantummodo in istis ita est autem i.e. sed similiter in aliis quaecumque talia sunt i.e. vere relativa.

<7b22> Non autem. Bene dico quod istud proprium convenit omnibus vere relativis, autem i.e. sed non videtur esse verum in omnibus relativis ipsa simul esse natura. Quidam enim, ut Platonici, dicebant ista ‘scibile’ ‘scientia’ relativa esse, cum tamen non sint [[simul naturâ]]. Et hoc probat Auctor per hoc quod unum est prius natura alio. Et hoc est: vere non convenit hoc omnibus relativis, enim i.e. quia scibile videtur esse prius scientia. Videtur, et hoc verum est. Et hoc probat, quia illud de quo habetur scientia prius est quam aliqua scientia habeatur de eo. Et hoc est: namque in pluribus rebus subsistentibus i.e. praeexistentibus accipimus scientias i.e. nobis scientiam comparamus; in paucis enim vel in nullis hoc quis reperiet simul cum scibili scientiam esse, in omnibus \ita/ est [[aliquid]] quod illud de quo scitur aliquid prius est quam aliquid de eo sciatur. <7b27> Amplius. Alia ratione probat quod scibile prius est quam scientia, quia scibile peremptum perimit scientiam, sed non convertitur; quare scibile prius est quam scientia. Regula: “Quicquid perimit aliud non conversim superius est illo”, ut patet in his terminis ‘homo’ ‘animal’. Et hoc est: Amplius scibile sublatum simul aufert scientiam, scientia vero non aufert scibile. Et hoc probat: nam si scibile non est scientia non est, scientia vero cum non sit nihil prohibet esse scibile i.e. aliquid potest esse aptum sciri licet deo eo nulla habeatur scientia. Et hoc ostendit: ut quadratura circuli si i.e. quamvis scibile sit i.e. quamvis artificium de circulo quadrando sciri possit, nondum quidem est eius scientia i.e. nondum habetur scientia de quadratura circuli (utrum modo sciatur necne nihil refert, quia tempore Auctoris non erat scita), illud vero scibile est i.e. quadratura scibilis est.

<7b33> Amplius. Uno modo probavit Auctor ea quae Plato dicebat esse relativa non esse vere relativa. Aliter hic idem probat, quia illa non mutuo sese perimunt, ut ‘scibile’ ‘scientia’; animal enim peremptum pe-

rimit scientiam, tamen erit scibile; ergo scientia potest perimi et si non perimatur scibile; ergo non mutuo sese perimunt; /13rB/ ergo illa non sunt relativa.

Videtur esse falsum quod si perimatur animal perimetur scientia, quia scientia est in anima, et anima erit quando non erit animal, et quandocumque anima erit, omnis proprietas ipsius erit; ergo scientia erit quando animal non erit. Solutio: Tria sunt genera qualitatum quae sunt in animali. Quaedam enim qualitates insunt mediante anima, ut scientia et rationalitas; quaedam mediante corpore, ut albedo et corporeitas; quaedam mediante iunctura corporis et animae, [[etc.]] \ut/ risibilitas et unitas. Illa quae insunt gratia iuncturae corporis et animae desinunt esse si animal desinat esse, ut risibilitas et huiusmodi; sed scientia non inest nisi gratia animae, et ita non desinit esse licet animal desinat esse. Ad hoc dicimus quod hoc nomen 'scientia' aequivocum est; prout enim anima dicitur sciens, scientia est peritia quae sic describitur: scientia est cognitio veritatis eorum quae sunt et quae aliter esse non possunt. Scientia etiam dicitur exercitium scientiae, unde dicitur 'iste scit ire ad forum' 'habet scientiam eundi', sc. exercitium. Et secundum hoc verum est quod dicit Auctor: si animal perimatur¹⁵⁴ perimetur scientia. Et hoc est: <7b33> animali quidem sublato non erit scientia, vero i.e. sed scibilium plurima esse contingit, i.e. perempto animali non perimetur scibile.

Solet induci quaedam obiectio: Si aliquid scitur ab aliquo, aliquis scit illud, et econverso; ergo si aliquid est aptum sciri ab aliquo, aliquis est aptus scire illud, et econverso; 'scibile' idem est quod 'aptum sciri'; ergo si aliquid est scibile, aliquid est aptum scire illud, et econverso; et ita perempto animali perimetur scibile, et econverso. Ad hoc dicimus quod haec vera est 'si aliquid scitur ab aliquo, aliquid scit illud, et econverso'; sed ideo non sequitur 'si aliquid est aptum sciri, aliquid es aptum scire'.

Instantia: Si murus penetretur visu alicuius, visus alicuius penetrat murum, et econverso; ergo si aliquid est aptum penetrare murum, murus est aptus penetrari. Non est verum, quia lynx est animal aptum penetrare murum visu, non tamen murus est aptus penetrari visu, quia illa aptitudo non est in muro sed in lynce.

¹⁵⁴ perimatur] perim(it)ur O.

Continuatio: Non solum ita contingit in his, <7b35> autem i.e. sed similiter his i.e. ad similitudinem horum se habent et ea quae de sensu sunt i.e. hoc sensibile et sensus, quia ista secundum eorum opinionem relativa erant. Et probat quod unum istorum est prius natura altero, enim i.e. quia sensibile prius quidem videtur esse quam sensus. ‘Sensibile’ hoc nomen aequivocum est: dicitur enim potens sentire, secundum quod omne et solum animal sensibile est; dicitur etiam sensibile potens sentiri, secundum hoc omne et solum corpus sensibile est et ea quae circa corpus sunt, ut calor et frigiditas; hic sumitur ‘sensibile’ in hac ultima significatione. Et hoc est: Vere sensus et sensibile non sunt simul naturâ, nam sensibile interemptum simul perimit et sensum; sensus autem i.e. sed sensus sensibile¹⁵⁵ non simul aufert. Et hoc probat hoc modo: sensibile peremptum perimit corpus, corpus peremptum perimit sensum, ergo a primo: sensibile peremptum perimit sensum, et non convertitur; quare sensibile prius est natura. Et hoc est: sensus enim circa corpus et in corpore sunt, sensibili autem sublato perimitur et corpus i.e. sensibile peremptum perimit corpus, sensibilium enim corpus est i.e. omne corpus est sensibile, cum vero corpus non sit perimitur et sensus. Quare i.e. ergo, a primo, simul aufert sensibile sensum. Regula: “Quicquid destruitur a destructo, destruitur a destruyente”. Et hoc probat: animali enim perempto perimitur sensus et tamen non perimitur sensibile, sensibile vero erit, ut corpus, calidum, quia quoddam corpus per calorem sentitur sc. tactu, dulce quoddam per dulcedinem in gustu, amarum quoddam per amaritudinem gustando, similiter et alia omnia huiusmodi erunt sc. sensibilia, licet nihil sit quod ea sentiat. <8a6> Amplius. Alio modo probat quod sensibile prius est [[est]] quam sensus, hoc modo: animal prius est quam sensus et sensibile prius est quam animal, quia omne animal constat ex sensibilibus, et omne constituens prius est suo constituto; ergo sensibile prius est sensu. Et hoc est: sensus quidem simul fit cum sensato i.e. cum animali, si enim animal sit et sensus – in activa significatione /13vA/ potest intelligi –, sensibile vero fuit prius quam animal. Et hoc probat: ignis enim et aqua et alia huiusmodi, ex quibus animal constat, ante sunt quam animal, quia omne constituens prius est suo constituto.

Nota quod Auctor dicit animal constare ex elementis. Elementa constituunt membra homoeomera, ut sunt ossa, cutis, quia quaelibet pars

¹⁵⁵ sensibile – sensibile] s(e)n. – s(e)n. O.

ossis est os, quaelibet pars cutis est cutis. Et <an>omoeomera constituunt organica, i.e. flexibilia, ut sunt brachia et huiusmodi.¹⁵⁶

Quare – illatio a primo – prius quam sensus sensibile esse videtur.

<8a13> Habet autem quaestionem. Deduxit Auctor superius Platonicos ad quoddam inconueniens. Hic deducit eos ad aliud ex praedicta descriptione. Et est tale inconueniens quod aliqua substantia secundum eos dicitur ad aliquid. Et est huiusmodi deductio: dicunt illi quod quicumque terminus refertur ad aliud per propriam vocis essentiam est relativus; sed iste terminus ‘caput’ refertur ad aliud per propriam vocis essentiam, ut ‘caput capitati caput’; ergo est relativus; sed omne relativum significat relationem; ergo hoc nomen ‘caput’ significat relationem; sed ipsum significat substantiam, et unam solam habet significationem; ergo substantia est relatio.

Continuatio: Non solum praedicta \veniunt/ ex illa descriptione, autem i.e. sed habet quaestionem. Quidam dicunt “habet” hic poni impersonaliter; sed hoc non reperitur dictum ab Auctore, ideo dicimus subintelligi nominativum qui ei supponit, i.e. aliquis habet quaestionem i.e. dubitationem i.e. aliquis dubitat utrum nulla substantia dicitur ad aliquid i.e. contineatur in praedicamento relationis, quemadmodum videtur i.e. sicut vere videtur quod nulla substantia contineatur in praedicamento relationis, ita hoc quaeritur an hoc contingit secundum quasdam secundas substantias i.e. an quaedam secundae substantiae dicantur ad aliquid. <8a15> Nam etc. Bene dico “utrum quaedam secundae substantiae dicantur ad aliquid”, nam in primis manifestum quod non continentur in hoc praedicamento. Individua primi praedicamenti esse primas substantias, et genera et species eiusdem esse secundas, superius dictum est, et ideo hic omittimus. Et hoc est: Nam in primis substantiis verum est sc. quod non dicuntur ad aliquid. Et hoc probat: nam neque totae i.e. neque sermones significantes tota, i.e. discreta, ut ‘Socrates’ ‘Plato’ et alia individua, neque partes i.e. neque sermones significantes partiales substantias, ut ‘haec manus’ ‘hic pes’, ad aliquid dicuntur i.e. non continentur in praedicamento relationis. Et hoc probat, et primo de sermonibus significantibus totales substantias: Nam aliquis homo i.e. terminus discrete significans aliquem

¹⁵⁶ *Quae de homoeomeris & anomoeomeris dicit noster ex Arist. Historia Animalium 1.1 & De partibus animalium 2.1 originem ducunt, mediante, ut opinor, Nemesio Emesino, De natura hominis iv (ed. Verbeke & Moncho, CLCAG suppl. I [1975] p. 59).*

hominem non dicitur alicuius, non enim dicimus ‘Socrates Platonis’. Regula: “Nullum nomen proprium construitur intransitive et immediate cum obliquo nisi per subintellectum appellati”, ut hic “liceat tumulo scripsisse Catonis Marcia”¹⁵⁷ subintelligitur “uxor”, et alibi “tua Proserpina”¹⁵⁸ sc. “filia”. Neque bos alicuius aliquis bos, eodem modo exponatur. Ita est de terminis discrete significantibus tota. <8a18> Similiter autem et partes, i.e. similiter est de terminis discrete significantibus partes. Et hoc probat: Quaedam enim manus i.e. terminus discrete significans manum non dicitur alicuius quaedam manus i.e. non refertur ad terminum discrete significantem manum, sed alicuius manus i.e. potius refertur ad terminum communem, et quoddam caput i.e. nomen discrete significans caput non dicitur alicuius quoddam caput i.e. non refertur ad terminum discrete significantem caput, sed alicuius caput i.e. immo potius ad nomen speciale. Ita est in primis substantiis. Similiter autem et in secundis substantiis, atque in pluribus, i.e. in pluribus substantiis verum est quod non referuntur ad alia, ut i.e. in his homo non dicitur alicuius homo i.e. non refertur ad aliud per propriam vocis essentiam, non enim dicimus ‘homo alicuius homo’ nisi sit homo possessio alicuius; similiter asinus possessio alicuius, nec bos alicuius bos, eadem est expositio, nec lignum alicuius lignum. Ita, inquam, non solemus dicere, sed alicuius possessio dicitur i.e. quodlibet praedictorum potest ad aliud referri [potest] mediante hoc nomine ‘possessio’, ut ‘lignum possessio alicuius’, et sic de aliis intellige. <8a24> In huiusmodi ergo manifestum quoniam non sunt ad aliquid i.e. quod non referuntur ad alia per propriam vocis essentiam, in aliquibus autem secundis substantiis i.e. in quibusdam nominibus quae communiter significant substantiam habet aliquis dubitationem i.e. dubitat aliquis. Et ostendit de quibus videtur quod dicuntur ad aliquid, ut caput i.e. hoc nomen ‘caput’ alicuius dicitur i.e. ad aliud refertur, et manus alicuius manus dicitur /13vB/ – eodem modo expone – et singula huiusmodi quae referuntur ad alia per propriam vocis essentiam. Quare haec videantur¹⁵⁹ fortasse esse ad aliquid. <8a28> Si igitur etc. Illatio est ab omnibus praemissis: praedicta descriptio vel est sufficiens vel non est sufficiens; si est sufficiens, ergo praedicta accident inconvenientia; si non est sufficiens, igitur credant mihi Platonici, et ponam rectiorem. Et hoc est: Si igitur sufficienter i.e. convenienter assignata est definitio eorum quae sunt ad aliquid i.e. si conveniens est assignata

¹⁵⁷ Lucanus 2.343-344. Marcia] Martia O.

¹⁵⁸ Ovidius, *Metamorphoses* 5.505

¹⁵⁹ videantur] vi. O.

natio quam superius posuit secundum quosdam, aut nimis difficile aut impossibile est solvere i.e. per aliquam solutionem devitare quoniam nulla substantia i.e. quod nulla substantia sit aliquid eorum quae ad aliquid dicuntur i.e. contineatur in praedicamento relationis. Et hoc est illud inconueniens quod ipsi incurrunt.

<8a31> Si autem non sufficienter. Posuit Auctor superius descriptionem Platoniorum et ex ea deduxit eos ad inconueniens, et ostendit non posse solvi ad praeobiecta. Hoc facto ponit suam, quae talis est: illa sunt relativa quorum esse est ad aliquid se habere, i.e. aliorum respectu oportet ea dici ad hoc quod sint relativa. Per hoc patet praedicta non esse relativa, ut ‘scibile’ ‘scientia’; potest enim esse scibile et si non sit scientia, similiter ‘sensibile’ ‘sensus’, ‘caput’ ‘capitatum’, potest enim caput esse et si nihil sit capitatum. Intelligatur illa descriptio ita ut redundet in proprietates, ut relativorum etc. i.e. relationum esse est ad aliquid se habere. Vel: illa praedicabilia sunt relativa quorum esse etc. i.e. quorum res esse est ad aliquid se habere.

Contra hanc descriptionem sic obicitur: Demonstratio duo corpora quorum unum est superficiale et aliud solidum, et unum alii est aequale in longitudine et latitudine. Demonstratio solidum: aliquantum est hoc in spissitudine, et tantum non est illud; ergo hoc est inaequale illi, ergo inaequalitas inest huic respectu illius, ergo inaequalitas inest illi respectu huius.

Quod sic improbat: non aliquantum est si linea vel superficie quantum non sit, et econverso; sed quantumcumque est linea vel superficie istud, tantum est illud; ergo quantumcumque est hoc, tantum est illud, ergo non est inaequale illi; et ita haec relatio “inaequalitas” inest illi, et tamen nullam habet correlationem.

Ad hoc dicimus quod inaequalitas inest huic respectu illius, et illa attenditur secundum quantitatem simplicium partium huius. Vel dicatur quod illud nec aequale nec inaequale est huic secundum soliditatem.

Similis est obiectio circa qualitatem. Posito quod non sint nisi decem species qualitatis et Socrates participet illis, Plato tantum novem, Socrates decima illarum est aliqualis et talis non est Plato; ergo Socrates est dissimilis Platoni, ergo dissimilitudo inest Socrati ad Platonem et eius tamen correlatio non inest Platoni, quia qualiscumque est Plato, talis est Socrates. Ad hoc dicimus quod positio illa impossibilis est.

Item, posito quod iste fuerit servus multorum, sed eius domini modo mortui sunt, nec adhuc alii sunt ei substituti, iste vel est servus vel est liber. Si servus, ergo servitus est, ergo dominium est, quod falsum est. Si liber, ergo emancipatus, sed quis eum emancipavit? Nullus!

Ideo dicimus quod iste interim nec servus est nec liber. Vel dicatur, sicut dicitur a legistis, quod defunctis dominis eius canonicis dominus eius est episcopus, mortuo episcopo archiepiscopus, defuncto archiepiscopo summus pontifex, mortuo summo pontifice iste tandem liber est.

Et hoc est: Ita inconveniens incurrunt illi ex eorum descriptione, <8a31> autem i.e. sed si non sit sufficienter i.e. si illa descriptio non est conveniens ego ponam rectio[[n]]\r/em. Et patet quoniam ipsa non est sufficiens, sed mea sufficiens est, sc. quod illa sunt ad aliquid i.e. relativa quibus hoc ipsum est esse ad aliquid quodammodo se habere i.e. quae contrahunt esse suum ex eo quod quodammodo ad alia se habent. Istud “quodammodo” debet notare tria: mutuum respectum, mutuam intelligentiam, mutuam exigentiam. Sed fortasse aliquid contra ista dicetur, sed nihil obici potest /14rA/ quod leviter solvi non possit. Ista, inquam, descriptio convenit omnibus relativis et solis, autem i.e. sed praedicta definitio, sc. Platoniorum, sequitur quidem omnia relativa i.e. omnibus relativis convenit, sed praeterea aliis, quia non omnia sunt relativa quibus ipsa convenit. Et hoc probat: non enim hoc eis est esse quod sunt ad aliquid i.e. non ideo dicuntur aliqua esse relativa quod ea ipsa quae sunt aliorum dicuntur i.e. quod per propriam vocis essentiam ad alia referuntur. Plus enim exigitur, ut praediximus, ut sc. habeant mutuam intelligentiam, mutuam exigentiam, mutuam respectum.

<8a35> Ex his igitur etc. [[Assignavit]] \Dixit/ Auctor superius¹⁶⁰ “[relativis]] \relativa/ esse \est/ ad aliquid quodammodo se habere”. Hinc sumpta occasione quandam proprietatem assignat relativis, quae talis est [[quae talis est]] \quod/ relativorum unum perfecte non potest sciri sine reliquo, quoniam aliquis non potest scire quid sit pater quin sciat esse patris, et nullus potest scire esse patris quin sciat patrem ad aliud se habere, et ita un[[a]]\um/ relativorum sciri non potest sine reliquo. Ita relativorum esse est ad aliud se habere, igitur ex his manifestum est quoniam si quis unum eorum quae ad aliquid dicuntur definite sciet, i.e. si quis sciat

¹⁶⁰ Arist. Cat. 8a31-32. *Nota lectionem priorem, relativis, propius ad textum Aristotelicum accedere quam lectionem correctura illatam; dicit enim Arist. l.c.: sunt ad aliquid quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodam modo se habere.*

quid exigitur ad hoc quod aliquid sit relativum et quid sit eius correlativum¹⁶¹ definite sciturus est. Et hoc probat: quoniam eorum quae sunt ad aliquid esse relativis est ad aliquid quodammodo se habere, palam itaque est et ex hoc. Si enim novis quis quiddam quod ad aliquid est i.e. si aliquis perfecte novit aliquod relativum oportet quod eius descriptionem sciat, est autem esse quod ad aliquid est i.e. definitio relativi. Hoc est: ad aliud quodam modo se habere i.e. quod cum suo <cor>relativo mutuam habeat intelligentiam, mutuam respectum, mutuam exigentiam; cum hoc, inquam, totum sciat novit et illud ad quod quodammodo se habet. Et probat quod non potest aliquis perfecte scire naturam unius relativi quin sciat naturam eius correlativi: Si enim non novit omnino ad quid quodammodo se habet, neque novit supple si i.e. an ad aliquid quodammodo se habeat i.e. nescit perfecte an sit relativum necne, neque sciturus est. Sed in singulis palam hoc est, supponit enim Auctor exempla in quibus manifestum est quod praedocuit, verbi gratia ut hoc si quis definite novit quia est duplum i.e. si quis definite <novit> naturam huius relativi 'duplum', et cuius duplum est mox definite novit i.e. naturam subdupli, et hoc nomen 'cuius' simplicem facit relationem; si vero nihil definite novit i.e. si non novit ipsum omnino cuius sit duplum i.e. si non novit perfecte naturam huius relativi 'duplum', neque si est duplum omnino novit i.e. nescit an sit relativum necne. Similiter autem, non tantummodo ita contingit in istis relativis autem i.e. sed similiter si aliquis novit quia melius est i.e. si aliquis novit naturam huius relativi 'melius', novit et quo ipsum sit melius i.e. novit quid sit eius correlativum, sc. hoc 'minus bonum'.

<8b13> Quapropter: illatio est ex praedictis: palam est i.e. manifestum est quod necessarium¹⁶² est quod si quis unum relativorum noverit definite, et illud ad quod dicitur definite nosse i.e. non potest aliquis perfectam \habere/ notitiam de uno relativorum quin \habeat/ de reliquo. Caput vero et manus:¹⁶³ ita est de veris relativis quod mutuam habent notitiam, vero i.e. sed caput et manus, ista sc. quae secundum Platoniorum opinionem relativa sunt, et horum singula, sc. de numero horum, quae substantiae sunt i.e. quae spectant ad praedicamentum substantiae hoc ipsum quod sunt potest sciri definite i.e. potest sciri quod manus sit [ma] manus, similiter caput caput, ad quod autem dicantur non est necesse

¹⁶¹ eius correlativum] eius .9. O; illud ad quod dicitur *Arist.*

¹⁶² quod necessarium] *lineam subductam om.* O.

¹⁶³ manus] ma. O; manum *Arist.*; *pluralem ideo praetuli quia inferius plenis litteris caput et manus praebet* O.

scire, quare relativa non sunt. Et hoc probat: cuius enim sit haec manus et cuius hoc caput non est i.e. non contingit dici definite i.e. non est sumere aliquem terminum ad quem definite referatur hoc nomen 'manus'. <8b19> Quare non erunt haec ad aliquid, si autem ita est de istis 'manus' et 'caput' quod relativa non sunt, sic nec [[a]]lia quae spectant ad praedicamentum substantiae. Et hoc est: si vero possit dici i.e. vere possit dici quod haec relativa non sunt, manus et caput, verum erit dicere i.e. vere poterit dici quia nulla substantia relativorum est.

<8b21> Fortasse autem etc. Quoniam /14rB/ \opinio/ Aristotelis contraria erat opinioni Platonis \magistri sui/, idcirco addit hoc capitulum ne videatur nimis arroganter sententiam suam asserere. Et hoc est: Fortasse autem difficile sit – temperate dictum est – de huiusmodi rebus confidenter declarare i.e. firmiter et constanter asserere, nisi saepe pertractata sint i.e. revelata et inquisita. Dubitare autem de singulis non erit inutile, de singulis, dico, dubitatione dignis, quoniam dubitationem sequitur sollicitudo, sollicitudinem inquisitio, inquisitionem certitudo et ita veritas; quare utile est de singulis dubitare.

<8.8b25> <Q>UALITAS etc.

Praedicamento relationis continuat Auctor tractatum de qualitate. Nec est quaerenda ratio quare, cum post praedicamentum substantiae continuo egisset de qualitate nisi proper praeassignatas rationes. Agit autem de qualitate hoc modo: primo describit qualitatem, secundo ostendit multas esse species qualitatis, tertio quattuor ponit species qualitatis, quarto ostendit multo plures esse species qualitatis, quinto ponit multa propria qualitatis, ut sic perveniat ad proprie proprium qualitatis, et in hoc faciendo terminat tractatum de qualitate.

Hoc nomen 'qualitas' dupliciter accipitur, largius penes grammaticos, strictius penes dialecticos. Dicunt enim grammatici omnem formam, vel omne id quod intelligitur circa subiectum tamquam forma, esse qualitatem; secundum quod dictum est nomen significare substantiam cum qualitate, i.e. supponi locutioni cum quacumque proprietate. Dialectici dicunt omnem et solam illam formam quae non continetur in aliquo aliorum octo praedicamentorum esse qualitatem, et ita hoc loco accipitur.

Et nota quod qualitas proprie non habet describi nisi per remotionem aliorum praedicamentorum. Unde contingit quod si dubitetur de aliqua forma sub quo praedicamento saepius reducitur ad praedicatum qualitatis per remotionem aliorum.

Continuatio: Praedicta dixi de relativis, autem i.e. sed qualitas est secundum quam quales quales dicimur.

Haec descriptio multis modis videtur esse vitiosa. Primo propter nomen relativum: omne enim nomen relativum \vult/ intelligi ex eadem parte orationis cum suo antecedenti, quare talis erit descriptio: "qualitas est qualitas etc.", et ita idem ponitur in descriptione sui, ergo est inconveniens. Ideo sic dicimus: qualitas est forma secundum quam quales dicimur. 'Dicimur' i.e. "dicuntur", 'dicuntur' etuan i.e. "sunt", i.e. qualitas est forma secundum quam aliqua sunt aliqua, sicut econverso invenitur "nec tantis cladibus auctor Poenus erit"¹⁶⁴ i.e. dicitur. Ita etiam quod hoc nomen 'qualia' copulet qualitatem sine discretione numeri i.e. secundum quam aliquid est aliquale vel aliqua sunt aliqua. Nec enim omni qualitate aliquid est aliquale nec omni aliqua sunt aliqua.

Item, ratio videtur esse reprehensibilis quia omnis descriptio proprie facta debet fieri per generaliter notiora; sed principale notius est quam sumptum, quia simplicius; simpliciter enim principale dat intelligi qualitatem, sumptum vero et qualitatem et subiectum qualitatis; et ita haec erit inconveniens quia fit per ignotiora. Describitur enim hic principale per sumptum. Ideo dicimus quod non est usquequaque conveniens haec descriptio, sed est quali<s>cumque qualitatis assignatio.

<8b25> Est autem. Secundum praenotatum ordinem post descriptionem qualitatis dicit multas qualitatis esse species, et hoc est: ita describitur qualitas, autem i.e. sed qualitas est eorum quae multipliciter dicuntur, i.e. qualitas est de numero illorum quae multipliciter dicuntur, i.e. quae multas sub se habent species.

Haec oratio 'multipliciter dici' diversis modis accipitur. Dicitur enim quandoque multipliciter dici aliqua dictio quae diversa significat, ut nomen aequivocum, et talis multiplicitas dicitur multiplicitas actu. Dicitur etiam multipliciter dici dictio quae diversas potest habere significationes secundum diversos accentus vel tempora, et talis multiplicitas dicitur multiplicitas potentia. Dicitur etiam multipliciter dici dictio quae, cum non habeat diversas significationes, videtur tamen posse habere, et talis multiplicitas dicitur multiplicitas apparentia. Quod in Elenchis plenius solet distingui.

¹⁶⁴ Lucanus 1.30-31

Dicitur etiam nomen multipliciter dici quando de multis dicitur inferioribus, et ita hic accipitur. /14vA/

<8b26> Et una quidem. Dixit Auctor multas esse species qualitatis, hoc loco notificat de illis. Et primo ponit primam speciem qualitatis, sc. habitum et dispositionem. Cuius gratia videndum est quid sit habitus et quid dispositio, utrum habitus vel dispositio sit genus vel species, et utrum aliquod nomen divisibile per haec duo sit genus [[vel species]].

Distinximus superius multiplicitates huius nominis ‘habitus’, ideo hic paucis dicimus. Habitus est qualitas per applicationem adveniens subiecto, difficile mobilis; “per applicationem adveniens” i.e. per laborem et [[ex]] \solli/citudine. Dispositio est qualitas per applicationem adveniens subiecto, facile mobilis. In hoc conveniunt quod utrumque qualitas est per applicationem adveniens subiecto. In hoc differunt quod habitus est [[fa]]\diffi/cile mobilis, dispositio facile mobilis.

Quod sint species videtur primo ex eo quod ait Auctor “Et una quidem species qualitatis sunt habitus et dispositio”. Item habitus praedicatur de pluribus differentibus numero in quid, ergo est genus vel species; locus a descriptione. Similiter et dispositio.

Econtra videtur quod nec sint species nec genus, habitus enim vel erit species specialissima vel genus. Videtur quod non sit species specialissima, quia nulla species specialissima praedicatur de rebus diversarum specierum, sed \haec/ grammatica et \quaedam/ musica est habitus, cum pateat grammaticam et musicam diversas esse species. Item habitus genus non videtur esse, quia quotiens aliquod genus praedicatur de aliquo individuo alicuius speciei specialissimae praedicatur de illa specie prorsus, sed habitus praedicatur de hac grammatica, quia haec grammatica est habitus, sed non praedicatur de quolibet individuo huius speciei ‘grammatica’, quia non omnis grammatica est habitus, ergo hoc nomen ‘habitus’ non est genus.

Item, quod neutrum illorum sit genus vel species sic probatur: si aliquid est res alicuius generis \vel speciei/, ipsum non potest esse et non esse res illius generis; sed grammatica quaedam quae modo est dispositio potest esse et non esse dispositio, ut quando erit habitus; ait enim Boethius in commento¹⁶⁵ “Dispositiones inveteratae fiunt habitus”; ergo dis-

¹⁶⁵ Boethius, *Cat.* 242D

positio nec genus est nec species. Similiter de habitu, quia nihil potest relinquere substantialia.

Nos dicimus quod nec habitus nec dispositio est genus vel species. Quod autem ait Aristoteles “Et una species qualitatis” etc., i.e. una maneries qualitatis sunt habitus et dispositio. Quod dictum est “praedicatur de pluribus differentibus specie in quid”, dico hoc esse falsum, quia non praedicatur in quid habitus vel dispositio, non enim ostendit quid aliquid habeat esse per naturam, immo potius per artificium et applicationem. Non etiam potest dici quod applicatio sit genus istorum et dividatur per has species ‘habitus’ ‘dispositio’. Quidam enim habitus, ut ait ipse Plato, non est applicatio, immo est naturalis, ut qui inest animae; dicitur enim anima omnia naturaliter scire.

Legatur ergo sic littera: Dico quod qualitas est de numero eorum quae multipliciter dicuntur, <8b26> et una quidem species qualitatis habitudo et dispositio dicuntur i.e. dicuntur esse de una manerie qualitatis. Differt autem – differentiam inter illa ostendit – habitus differt a dispositione quod i.e. quia habitus permanentior est et pro i.e. diuturnior i.e. magis idoneus est habitus ad hoc ut diu maneat quam dispositio. Et ideo sic exponendum est, quia potest \casu/ contingere quod dispositio diutius maneat quam habitus et habitus citius transeat quam dispositio. Et ostendit Auctor cuiusmodi sint hae proprietates dicens tales sunt scientiae et virtutes – virtutes, supple meritoriae, quia quaedam virtus est naturalis, et ipsa nec habitus est nec dispositio, ut castitas quae inest naturaliter frigi[[itas]]do/; virtus est habitus mentis bene constitutae. Et probat quod dixit: scientia enim videtur esse permanentium et pro i.e. eorum quae difficile moveantur i.e. separentur a subiecto. Et hoc declarat: ut si quis summat scientiam vel i.e. etiam mediocriter, separari, supple, non potest nisi forte grandis permutatio fiat vel ab aegritudine vel ab aliquo huiusmodi; multi enim per laesionem capitis scientia privantur, ut si laesa fuerit cellula memorialis.

Continuatio: Ita dico quod scientia quaedam difficile mobilis est, <8b32> similiter \autem/ et virtus non est intelligendum generaliter de omni virtute. Et exemplificat de illis: ut iustitia vel castitas et singula talium /14vB/ i.e. de numero talium non videntur posse moveri neque facile permutari i.e. non de facili separentur a subiecto.

<8b35> Affectiones autem. Praeostendit Auctor quae proprietates sint habitus. Hoc loco ostendit quae proprietates sint dispositiones, et illas

hoc loco appellat affectiones. Et est differentia inter afficere et inficere: illud inficit quod magis inhaeret, illud afficit quod minus inhaeret.

Et hoc est: Praedictae proprietates dicuntur habitus, autem i.e. sed affectiones dicuntur i.e. dispositiones quae faciles et i.e. cito permutabiles, ut calor et frigiditas i.e. quaedam calor et quaedam frigiditas et aegritudo et sanitas et alia huiusmodi dicuntur sc. affectiones. Et ostendit causam nominationis: enim i.e. quia afficitur homo circa ea<s> quodammodo, dicitur enim affectio ab ‘afficio, -cis’, et omnis proprietas quae afficit potest dici affectio. Bene dico quod praedicta sunt affectiones, autem i.e. quia cito permutatur homo et ex calido fit frigidus et a sanitate in aegritudinem transit. Et hoc manifestabit ipse Auctor in littera; <9a1> similiter autem et in aliis nisi forte in his quoque contingit per temporis longitudinem in naturam cuiusque transferri i.e. in naturam alicuius, quicumque ille sit. Bene dicit “in naturam”, quia morbus quandoque propter consuetudinem et nimiam moram circa subiectum dicitur esse naturalis illi cui inest; consuetudo enim altera natura est. Bene dico quod transferantur in naturam alicuius et affectis existat i.e. fiat insanabilis vel difficile mobilis, quem sc. affectum iam quilibet habitudinem vocet i.e. possit vocare habitum. Quandoquidem ita est quod talia vertuntur in habitum, igitur manifestum est quoniam haec volunt habitudines nominari i.e. manifestum est quod huiusmodi proprietates \volunt i.e./ debent dici habitus quae i.e. quia ipsa sunt diuturniora et difficile mobilia. Et probat quod tales debent dici habitus, et non illae quae facile separantur: enim i.e. quia in disciplinis non multum retinentes i.e. illi qui non bene retinent scientias, sed facile mobiles i.e. de facili illas amittunt propter labilitatem memoriae – illi, inquam, dicunt¹⁶⁶ non habere habitum, non dicuntur, inquam, quamvis sint ad disciplinas melius vel peius dispositi. Duae sunt causae quare aliquis sit bene dispositus ad scientiam: capacitas ingenii et memoriae tenacitas; sic duae quare aliquis sit male dispositus: labilitas memoriae et obtusio sive hebetudo ingenii. <9a8> Quare. Ex praedictis illatio: habitus differt a dispositione quod hoc i.e. dispositio facile mobile est, illud vero i.e. habitus diuturnius et difficile mobile est.

<9a10> Sunt autem etc. Hoc loco ostendit Auctor quod in largiori acceptione huius nominis ‘dispositio’ [quod] omnis habitus est dispositio; dicitur enim a disponendo, sc. omnis proprietas quae inest subiecto cum quaedam subiecti dispositione. Et secundum hoc omnis habitus dispositio,

¹⁶⁶ dicunt *Arist.*] di. O.

sed non econverso. Et hoc est: Sunt autem et habitus dispositiones, dispositiones vero non necesse est esse habitus. Hoc videtur falsum, quoniam si dispositiones sunt habitus et habitus sunt dispositiones, et convertitur. Ad hoc dicimus quod universaliter intelligendum est quod dicit Auctor, sc. quod non omnes dispositiones sunt habitus, et hoc probat: qui¹⁶⁷ enim retinent habitum et quodammodo sunt dispositi, dispositi, inquam, sunt ad ea quae habent i.e. quae in habitum vertuntur; dispositi, inquam, vel peius vel melius, quocumque modo sc. Qui autem dispositi sunt non omnino habent habitum i.e. non oportet quod quicumque habet dispositionem habeat et habitum.

<9a14> Aliud vero etc. De una specie qualitatis se expedit Auctor. Hoc facto transfert se ad aliam, quae similiter sicut et prior duabus censetur appellationibus, his sc. 'naturalis potentia' 'naturalis impotentia'. Unde paucis videndum est quid sit naturalis potentia, quid naturalis impotentia et in quo differant hae proprietates a praedictis, et si alterutrum istorum est genus vel species vel utrum aliquod superius genus sufficienter possit dividi per haec duo.

Naturalis potentia est qualitas naturaliter innata subiecto, ex cuius participatione subiectum potest aliquid facile agere vel difficile pati. Naturalis impotentia /15rA/ est qualitas naturaliter adveniens subiecto, ex cuius participatione subiectum potest aliquid difficile agere vel facile pati.

In hoc naturalis potentia et naturalis impotentia conveniunt quod utraque naturaliter inest subiecto. In hoc differunt quod ex huius participatione possumus aliquid facile agere vel difficile pati, ex illius/ participatione econverso.

In hoc differunt hae proprietates a praedictis, sc. habitu et dispositione, quod istae naturaliter, illae per applicationem et sollicitudinem insunt subiectis.

Et videtur quod utraque istarum duas habeat species. Naturalis potentiae est una qua mediante subiectum potest aliquid facile agere, ut ex rationalitate ratiocinari; alia species naturalis [[im]]potentiae qua mediante subiectum potest aliquid difficile pati, ut duritia, quia duritiâ mediante subiectum difficile potest pati sectionem. Naturalis impotentiae una species est qua mediante subiectum potest aliquid difficile agere, ut ponderositas, quia ex ponderositate evenit quod aliquis potest difficile currere; alia spe-

¹⁶⁷ qui] quae O.

cies naturalis impotentiae est qua mediante subiectum potest aliquid facile pati, ut mediante mollitie sectionem. Neutrum istorum est genus vel species, quia nulla oratio genus est vel species; sed nisi impediret penuria vocabulorum fortasse posset aliquod genus inveniri quod divideretur per has duas species 'naturalis potentia' 'naturalis impotentia', et ipsum contineret omnes substantiales proprietates et quasdam accidentales, dummodo naturales.

Utrum omnis substantialis proprietas sit naturalis potentia non definitio, sed nota quod omnis est naturalis potentia vel impotentia. Irrationalitas enim, quae substantialis proprietas esse dicitur, naturalis impotentia esse videtur, quia ex eius participatione subiectum potest aliquid difficile agere, sc. ratiocinari.

Continuatio: Non tantum praedicta maneries qualitatis est, <9a14> vero i.e. sed aliud genus qualitatis est i.e. de alia maneria qualitatis est illa proprietas secundum quod i.e. secundum quam dicimur¹⁶⁸ pugillatores. Hoc nomen 'pugillator' copulat quandam naturalem potentiam quae nomine caret. Et nota quod hoc nomen 'pugillator' tres habet acceptiones: dicitur enim quandoque aliquis pugillator a professione talis scientiae; quandoque ab actu pugillandi, ut ita dicam; quandoque aliquis dicitur pugillator qui naturalem habet dispositionem membrorum pugillatoriae <aptam>, sive sit in actu, sive peritiam habeat sive non; et in tertia acceptione tantum copulat naturalem potentiam. vel cursores Sic distinguatur in hoc nomine 'cursor': cursor enim dicitur qui est in actu currendi, sive qui habet peritiam currendi, tertio qui habet talem dispositionem membrorum propter quam idoneus est ad cursoriam artem, sive habeat peritiam sive non; et \i/n hac tertia acceptione tantum copulat naturalem potentiam. vel salubres vel insalubres dicimur. Nota quod differentia est inter sanum et salubre sive sanativum. Sanus enim dicitur qui ad tempus sanus est, sive sit sanativus sive non; sanativus vel salubris¹⁶⁹ ille qui bonae complexionis est, sive sit sanus sive non.

Ita praedicta sunt de secunda manerie qualitatis <9a15> et simpliciter i.e. generaliter quaecumque dicuntur secundum naturalem potentiam vel impotentiam i.e. quaecumque proprietates sunt naturales potentiae vel naturales impotentiae. non enim. Ostendit differentiam Auctor inter hanc

¹⁶⁸ dicimur scripsi propter lemma vel salubres vel insalubres dicimur quod inferius invenies] dicimus Arist.; di. O.

¹⁶⁹ salubris] vel saluber O (compendio ambiguo)

maneriam qualitatis, in quam sc. incidit¹⁷⁰ naturalis potentia et naturalis impotentia, et illam in quam incidit habitus et dispositio, dicens quod proprietates illius maneriei habent inesse per applicationem subiecti, sed illae de hac secunda manerie habent inesse per naturam.

Continuatio: Bene dico quod istae sunt de alia manerie qualitatis, <9a16> enim i.e. quia unumquodque istorum huiusmodi, sc. pugillator vel cursor etc. non dicitur i.e. non denominatur de talibus proprietatibus, quoniam sint dispositi aliquo modo i.e. sc. ideo quod habeant illas per applicationem subiecti, sed quod i.e. quia habent potentiam naturalem i.e. ex naturali praeparatione habent tales potentias vel facere aliquid facile quantum ad primam speciem naturalis potentiae vel nihil pati /15rB/ quantum ad secundam speciem naturalis potentiae. Et de utroque exemplificat: ut pugillatores vel cursores dicuntur non quod i.e. quia sunt dispositi i.e. applicati sed quod habent potentiam hoc facile faciendi; et hoc quantum ad primam speciem naturalis potentiae. Consequenter exemplificat de secunda specie naturalis potentiae: sanativi¹⁷¹ autem dicuntur quod habeant potentiam naturalem ut nihil patiantur a quibuslibet accidentibus i.e. ut non patiantur aliquid de facili ab extrinsecis accidentibus.

<9a23> aegrotativi. Ostenso quae proprietates sint naturales potentiae statim ostendit quae sint naturales impotentiae. Continuatio: Praedicta denominantur a naturalibus potentiis, vero i.e. sed aegrotativi dicuntur quoniam habeant impotentiam nihil pati – duae negationes uni [[negationi]] aequipollent affirmationi, et ita est exponendum “quoniam habeant impotentiam nihil patiendi” i.e. potentiam aliquid patiendi; melius tamen dixit Auctor “impotentiam”, quoniam huiusmodi potentiae potius sunt impotentiae quam potentiae. Non tantummodo praedicta copulant naturales impotentias, autem i.e. sed durum et molle habet se similiter his i.e. ad similitudinem praedictorum, quoniam unum istorum copulat naturalem potentiam, reliquum naturalem impotentiam. Et hoc manifestius declarat dicens durum enim dicitur quod habeat potentiam non citius secari i.e. quod non de facili potest secari, ut ferrum; durities enim ferri est eius naturalis potentia; molle vero quod eius ipsius habet impotentiam non citius secari i.e. potentiam citius secari; talis enim mollities est naturalis impotentia.

¹⁷⁰ incidit] concidit O.

¹⁷¹ sanativi] sa. O.

<9a28> Tertia vero species. Hoc loco agit Auctor de tertia specie qualitatis, quam similiter duabus designat appellationibus sicut et utramque praemissarum, sc. his 'passio' 'passibilis qualitas'. Passibilis \qualitas est/ proprietas inferens aliquid vel illata alicunde quae diu manet in in subiecto. Passio est qualitas inferens aliquid subiecto vel illata alicunde et cito transiens. In hoc est convenientia istorum ad invicem quod tam passio quam passibilis qualitas infert aliquid \subiecto/ (ut amaritudo, dulcedo gustui), vel infertur alicunde (ut rubor ex verecundia, pallor ex timore). In hoc differunt quod passio cito transiens, passibilis qualitas est diu manens. Et nota hanc esse differentiam istorum ad habitum et dispositionem quod et passio et passibilis qualitas est qualitas diu manens vel cito transiens, seu facile seu difficile sit mobilis sive non, tam habitus quam dispositio est qualitas facile vel difficile mobilis sive diu maneat sive non.

Si quaeratur quomodo haec species qualitatis se habeat ad duas species praedictas, habitum et dispositionem, naturalem potentiam et naturalem impotentiam, dico quod tamquam superius ad inferiora; omnis enim proprietas sive sit naturalis sive accidentalis potest appellari passio vel passibilis qualitas. Haec tamen species ideo distinguitur a superioribus quia aliunde contrahit proprietas esse habitus vel dispositio, naturalis potentia vel impotentia, et aliunde passio vel passibilis qualitas. Et non est alterutra istarum genus vel species, quia quaedam \passio/ potest esse passibilis qualitas, sed numquam res unius speciei potest esse res contrariae speciei.

Continuatio: Praedicta continet secunda species qualitatis, <9a28> vero i.e. sed tertia species qualitatis i.e. de tertia manerie qualitatis sunt passio et passibilis qualitas. Et exemplificat de illis: sunt autem huiusmodi ut dulcedo et amaritudo, dulcedo enim mellis est passibilis qualitas mellis, et dulcedo quae inest palato est passio palati; eodem modo intellige de amaritudine; et austeritas i.e. acerbitas, acerbitas enim fellis est passibilis qualitas eius, et est passio palati. Haec, inquam, praedicta sunt passionem et passibiles qualitates, et non tantum ista sed et omnia quae eis cognata sunt i.e. similia. amplius autem i.e. praeter praedicta, ista sunt talia: calor \et/ frigus, quia calor ignis est passibilis qualitas, calor ille qui infertur ex illo homini est passio; sic intellige de frigiditate nivis; et albedo et nigredo. /15vA/

<9a31> Et quoniam etc. Probat quod istae proprietates sunt passibiles qualitates, et primo quod sint qualitates, quia eis convenit descriptio qualitatis. Et hoc est: quoniam i.e. quod haec i.e. praedictae proprietates

qualitates sint manifestum est, ex hoc enim i.e. quia quaecumque ista susceperunt dicuntur qualia secundum ea et ideo qualitates, qualitas enim sic describitur: qualitas est secundum quam quales dicimur. Et probat quod subiecta talium proprietatum qualia sunt secundum illas: ut mel quoniam i.e. quia suscipit dulcedinem dicitur dulce, et ita quale, et corpus album eo quod suscipiat i.e. subiectum sit albedinis. Similiter i.e. simili modo se habet i.e. contingit in ceteris i.e. in aliis huiusmodi proprietatibus. <9a35> Passibiles etc. Ne aliquis putaret passibiles qualitates tantummodo ideo dici quia inferant passiones eis quibus insunt, hoc removet Auctor dicens Passibiles vero qualitates dicuntur non ideo quod i.e. quia <ea quae> susceperint illas qualitates aliquid patiantur. Et hoc probat: enim i.e. quia mel neque dicitur i.e. non dicitur dulce quoniam aliquid passum sit, nec aliud huiusmodi. <9b2> Similiter autem his i.e. ad similitudinem horum et calor et frigus dicuntur passibiles qualitates non ideo quia illa quae eas suscipiunt aliquid passa sint, sed quoniam singula i.e. quaelibet eorum quae dicta sunt perfectiva sunt i.e. illativa passionis secundum qualitatem i.e. secundum diversitatem et maneries sensuum passibiles qualitates dicuntur. Et ostendit quomodo secundum diversitatem sensuum sunt illativa passionum: enim i.e. quia dulcedo quandam passionem conficit secundum gustum, et gustus sensus est, et calor secundum tactum, et tactus sensus est, et ita calor ignis infert passionem secundum tactum, et dulcedo mellis secundum gustum, et ita istae duae qualitates inferunt passiones secundum diversos sensus.

<9b8> Similiter et aliae, ut albedo secundum visum. Ostendit causam quare praedicta dicantur passibiles qualitates, ideo sc. quia inferunt passiones. Modo exemplificat de aliis, quae dicuntur passibiles qualitates quia inferuntur a passionibus, ut albedo potest dici quandoque passibilis qualitas alicuius quae infertur ab aliqua aegritudine, similiter nigredo quae ab aliqua alia passione infertur.

Continuatio: Praedicta dicuntur passibiles qualitates quia inferunt passiones, <9b9> autem i.e. sed albedo et nigredo et alii colores non dicuntur passibiles qualitates similiter his i.e. ad similitudinem eorum quae praedicta sunt, i.e. non ideo quia inferant aliis passiones, sed hoc i.e. ideo quod i.e. quia haec qualitates ab aliquibus passionibus innascuntur idcirco passibiles dicuntur.

<9b11> Quoniam ergo fiunt etc. Docuit Auctor superius quod quaedam passibiles qualitates inferunt passiones. Hoc loco probat hoc non esse mirum, per argumentum a minori: contingit enim quod quaedam pas-

siones inferunt alias passiones, quae facile mobiles sunt; non ergo mirum si passibiles qualitates, quae difficile sunt mobiles inferant passiones.

Et haec est continuatio: Bene dico quod quaedam passibiles qualitates inferunt passiones, et non tantummodo passibiles qualitates, ergo i.e. sed manifestum est quoniam multae colorum mutationes fiunt per aliquam passionem. Vel aliter legatur “ergo” expletive sive inceptive, hoc modo: Quoniam ergo manifestum est quoniam fiunt multae mutationes per aliquam passionem; et ostendit quomodo: enim i.e. quia aliquis erubescens rubeus factus est i.e. verecundia sive erubescencia alicui infert ruborem, et timens supple factus est pallidus i.e. timor passio infert pallorem passionem. <9b14> Quare. Ex praedictis est illatio: Quandoquidem passiones inferunt alias, quare si quis naturaliter aliquid talium passionum passus est i.e. si cui insi[n]t naturalis verecundia vel naturalis timor oportet eum habere et similem colorem i.e. oportet eum esse rubeum, cum etiam propter accidentalem verecundiam erubescat alius. Et hoc probat: enim i.e. quia affectio i.e. passio quae nunc facta est circa corpus ad i.e. propter verecundiam, eadem affectio i.e. consimilis passio fit secundum naturalem passionem i.e. secundum verecundiam quae naturaliter inest, ita ut naturalis color similis sit i.e. ita ut consimilis color inferatur a[[d]] naturali et ab accidentali verecundia.

<9b19> Quaecumque igitur etc. Ostendit Auctor quasdam passiones inferri a naturalibus passionibus, ut a passibilibus qualitatibus. Hoc loco distinguit inter illas passiones dicens quod illae quae inferuntur a pas/sibilibus qualitatibus passibiles qualitates sunt, illae quae a passionibus passiones sunt. Et hoc est: Quaecumque igitur talium casuum i.e. talium proprietatum casualium sumpserint principium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus et i.e. permanentibus quantum ad naturales dicuntur passibiles qualitates – large utitur hoc nomine ‘passio’ ut comprehendat etiam passibilem qualitatem; et hoc manifestum est: enim i.e. quia sive – istud “sive” respicit aliud quod sequitur – pallor aut nigredo facta sit secundum naturalem substantiam i.e. secundum aliquam naturalem proprietatem quae substantialis videtur qualitates dicuntur i.e. dicuntur tales proprietates passibiles qualitates, enim i.e. quia nos dicimus quales secundum eas, et hoc est proprium qualitatis. Illae, inquam, passibiles qualitates dicuntur quae inferuntur a talibus proprietatibus <9b24> sive etiam illa proprietas quae inest propter longam aegritudinem vel propter aestum aut aliquid tale contingit i.e. advenit ut nigredo vel pallor, pallor enim accidit ex aliqua aegritudine, nigredo ex continuo aestu; illa,

inquam, quae ita advenit et non facile praeterit et in vita permanet i.e. diu permanet qualitates et istae dicuntur i.e. tales dicuntur passibiles qualitates. Et probat quod qualitates sunt: similiter enim secundum eas quales dicimur i.e. multi dicuntur quales secundum eas.

<9b28> Quaecumque vero. Ostendit Auctor superius cuiusmodi proprietates sint passibiles qualitates. Hoc loco ostendit cuiusmodi qualitates sint passiones, dicens quod passio est qualitas cito transiens.

Continuatio: Qualitas quae diu manet est passibilis qualitas, vero i.e. sed quaecumque fiunt i.e. inferuntur ex his quae facile¹⁷² solvuntur et i.e. cito transeunt dicuntur passiones. Et ostendit quare potius dicantur passiones quam qualitates passibiles; enim i.e. quia non dicimur i.e. non solemus dici quales secundum eas. Et hoc probat: enim i.e. quia ille qui propter verecundiam, accidentalem sc., rubeus¹⁷³ factus est neque dicitur i.e. non solet dici rubeus nec ille cui convenit pallor propter accidentalem timorem pallidus est i.e. solet dici esse pallidus. Non, inquam, ita solet dici sed magis quod ipse passus sit aliquid i.e. magis solet dici quod quaedam passio ei inest. Quare – ex praedictis illatio – huiusmodi proprietates, sc. facile mobiles passiones dicuntur, vero i.e. sed minime i.e. non dicuntur qualitates i.e. hoc nomen ‘qualitas’ non ponitur in nuncupatione illarum.

Quidam superficiei litterae adhaerentes dicunt quod qui accidentaliter rubet non est rubeus sed rubens, qui ex timore pallet non est pallidus sed pallens, quoniam secundum eos eadem est differentia inter haec nomina ‘rubens’ ‘rubeus’ quae est inter haec ‘iratus’ ‘iracundus’, dicitur enim tantum iratus qui est iratus ad tempus, iracundus qui naturaliter iracundus est.

Nos dicimus quod idem est ‘rubeus’ et ‘rubens’ sicut ‘albus’ et ‘albens’, quicumque enim participat rubore et est rubeus et est rubens.

Ideo dicunt alii quod ille qui verecundatus est nec rubeus est nec rubens, sed sanguis amic<t>us est naturae, et cum aliquis verecundatus est, confugit ad exteriora ut ita celet pudorem tegendo partes exteriores corporis, et potius sic manifestat quam cel[[a]]e/t pudorem, et ita sanguis non facit illum rubeum,¹⁷⁴ sed cutis eius apparet rubea quia ei supponitur sanguis, quemadmodum et si vitro superponatur purpura, tamen vitrum non erit sed apparebit rubeum. Sed secundum hoc accidet quod rubor ille est passibilis qualitas, quia nulli inest nisi sanguini et est diu manens in

¹⁷² facile *Arist.*] dis. O.

¹⁷³ rubeus] ru. O.

¹⁷⁴ rubeum] rubeum in rubeus, et hoc iterum in rubeum mutasse videtur O.

sanguine. Sed non similiter posset iudicari de pallore qui provenit ex timore.

Ideo dicimus quod ille rubeus est et ille pallidus est qui praedicto modo pallet, et Auctorem sic exponimus: “non dicitur” i.e. non sole<t> dici.

<9b33> Similiter autem etc. Ostendit Auctor de illis proprietatibus quae insunt homini gratia corporis, quae illarum dicendae sint passiones et quae passibiles qualitates, hoc loco ostendit de illis quae insunt gratia animae. /16rA/ Et hoc est: <****>.

Continuatio: Praedictae proprietates quae insunt homini gratia corporis quaedam dicuntur passiones, quaedam passibiles qualitates. Similiter autem et his i.e. ad similitudinem illarum et i.e. etiam illae quae secundum animam insunt passibiles qualitates et i.e. vel passiones dicuntur. Et ostendit quae debeant dici passiones et quae passibiles qualitates, et primo quae videantur passiones. Continuatio: Bene dico quod quaedam qualitates dicuntur passiones, quaedam passibiles qualitates, <9b35> enim i.e. quia quaecumque in nascendo ab aliquibus passionibus fiunt i.e. inferuntur ab aliquibus passionibus innatis ita quod sint difficile mobiles dicuntur qualitates supple passibiles. Et exemplificat: ut dementia sive clementia et ira et alia huiusmodi, ista enim dicuntur passibiles qualitates; et hoc probat: enim i.e. quia nos dicimur quales secundum eas, et glossat i.e. iracundi quantum ad iram et dementes sive clementes quantum ad dementiam vel clementiam. Et non tantummodo illae dicuntur passibiles qualitates quae inferuntur a passionibus innatis. Autem i.e. certe similiter quaecumque alienationes i.e. alterationes factae sunt i.e. illatae sunt non naturaliter¹⁷⁵ i.e. non a passionibus innatis sed aliquibus casibus i.e. ab aliquibus passionibus extrinsecus venientibus. Omnes, inquam, tales difficile praetereunt et i.e. vel omnino immobiles, etiam huiusmodi qualitates sunt i.e. passibiles qualitates dicuntur. Et hoc probat de istis sicut probavit de aliis: enim i.e. quia nos dicimur quales secundum eas. Praedictae dicuntur qualitates passibiles, sed aliae quae insunt de facili separabiles dicuntur passiones. Et hoc est: Quaecumque autem ex his quae citius praetereunt passiones dicuntur, ut si quis contristatus iracundior sit i.e. sicut inest iracundia ad tempus propter contristationem, illa iracundia passio dicitur. Et hoc monstrat: Non enim dicitur aliquis iracundus quia

¹⁷⁵ naturaliter *Arist.*] naturalibus O.

huiusmodi passione iracundior sit, sed magis dicitur aliquid passus i.e. non solet aliquis dici iracundus propter accidentalem iracundiam, quae passio est et facile mobilis. Quare – ex praedictis illatio – huiusmodi quidem passiones dicuntur, vero i.e. sed qualitates minime i.e. hoc nomen ‘qualitas’ non ponitur in assignatione illarum.

<10a11> Quantum. Quarto agit Auctor de quarta specie qualitatis, quae similiter duas habet appellationes, has sc.: forma, figura. Unde videndum est quid sit forma, quid figura, in quo una differat ab alia, et utrum ipsae sint species.

Forma idem est quod species, et hanc significationem habet hoc vocabulum ex institutione Tullii,¹⁷⁶ quia cum ipse videret hoc nomen ‘species’ turpiter sonare in ore Italicorum, instituit hoc nomen ‘forma’ idem significare quod hoc nomen ‘species’. Forma iterum est pulcritudo, inde ‘formosus’ pulcer. Forma prout hic accipitur est dispositio partium alicuius. Figura dicitur appellatio ut ibi “sub appellationis figura”¹⁷⁷ i.e. sub figura quae est appellatio. Est etiam figura dispositio partium alicuius, et ita hic accipitur.

Sed inter illa haec est differentia quod forma est dispositio partium rei animatae, figura est dispositio partium rei inanimatae. Vel haec: forma est dispositio partium rei naturalis, figura dispositio partium rei artificialis.

Item, nec forma nec figura est species, quia si essent species, essent oppositae species, quia nulla forma est figura nec econverso. Quod si essent oppositae species, ergo nulla essent similia rebus illarum specierum. Si demonstro hominem et statuam, quae eadem habet lineamenta partium quae et homo, dispositio partium quae est figura inest statuae quae est res inanimata, dispositio partium quae est forma inest homini, et illa sunt similia ill[[e]]i/s dispositionibus; ergo illae sunt res eiusdem speciei specialissimae. Regula: “Nulla sunt similia qualitatibus nisi illae sint res eiusdem speciei specialissimae”.

Fortasse posset dici quod dispositio species est, et dividitur sufficienter per haec duo ‘forma’ ‘figura’. n<on> tamquam genus per species sed tamquam superius per inferiora. /16rB/

Continuatio: Tertia species qualitatis est passiones et passibiles qualitates¹⁷⁸, autem i.e. sed quantum genus qualitatis i.e. quarta maneria quali-

¹⁷⁶ Cicero, *Topica*. 7.30

¹⁷⁷ Arist., *Cat.* 5.3b14

¹⁷⁸ passiones et passibiles qualitates] pas. & pas. qua. O.

tatis est forma et circa aliquid constans figura i.e. quae consideratur circa aliquid.

<10a12> Amplius autem. Istud 'amplius' potest esse exemplificativum vel additivum. Exemplificativum sic: Ego quandam dedi doctrinam de quarta specie qualitatis, autem i.e. sed amplius i.e. ampliorem et certioram dabo doctrinam de his supponendo exempla de illis, hoc modo: rectitudo vel curvitas et si quid est his simile, ista, inquam, sunt qualitates contentae sub hac specie. Additivum potest esse sic: \Non tantum/ praedictae qualitates sunt dispositiones, autem i.e. sed amplius ad haec i.e. praeter haec huiusmodi qualitates sunt rectitudo et curvitas et si quid his est simile, secundum quosdam sc. qui volebant has esse dispositiones. Ad hoc dicimus quod revera potius sunt positiones, et pertinent ad praedicamentum positionis, non ad praedicamentum qualitatis, rectitudo et curvitas et consimiles. Si enim essent dispositiones, ergo cuilibet corpori duae inessent species qualitatis, ut cum hoc lignum sit rotundum, rotunditas inest ei, quae est species \qualitatis/, et si ipsum erigatur, erectio species sive rectitudo inerit ei, et alia inerit illi si ipsum sit demissum, ut curvitas. Quod ergo hic dicit Auctor non est secundum se sed secundum alios.

<10a13> Et probat Auctor quod ista sint qualitates, enim i.e. quia quid i.e. aliquid dicitur quale secundum unumquodque eorum, ut aliquid dicitur rectum a rectitudine, sic curvum a curvitate. Et probat Auctor per alia quod secundum ista aliquid quale dicitur, enim i.e. quia triangulum vel quadratum esse est esse quale, ergo si esse triangulum est esse quale, hoc nomen 'triangulus'¹⁷⁹ copulat qualitatem. Dicimus quod triangulatio qualitas est quae inest huic superficiei ex eo quod constat ex tribus lineis rectis. Et sicut ab albedine sumitur 'album', ita a triangulatione 'triangulus', et est triangulus quantitas, sc. illud ipsum quod est triangulum, et hoc nomen 'triangulus' copulat qualitatem et appellat quantitatem. Sed hic loquor ac si forma insit formae, quia si forma non insit formae, tunc triangulatio qualitas non [[ine]]\in/erit triangulo prout est quantitas sed prout est talis superficies, sc. tale corpus.

Continuatio: Triangulus et quadratum¹⁸⁰ copulant qualitates, et i.e. etiam haec nomina rectum, curvum.

¹⁷⁹ triangulus] triangulo() O, *item sequenti vice*.

¹⁸⁰ triangulus et quadratum] triangulo() et qua() O.

<10a16> Rarum vero. Movet hic Auctor quaestionem, et eam non solvit, de his nominibus 'rarum' 'spissum' 'asperum' 'lene'. Quare videndum est quid sit raritas, quid spissitudo, et sic de aliis, ut ita facilius <videatur> ad quod praedicamentum reducendae sint hae proprietates.

Raritas est proprietas quae inest alicui ex eo quod ipsum habet partes inter se distantes et porosas, ut pumex. Spissitudo est proprietas contraria huic, talis sc. quae inest alicui ex eo quod ipsum habet partes consertas, ut vitrum; sed in alia significatione spissitudo dicitur relatio, ut cum dicitur 'corpus tres habet dimensiones: longitudinem, cuius correlati[[vum]]io/copulatur per hoc nomen 'curtus', latitudinem, cuius correlati[[vum]]io/copulatur per hoc nomen 'artus', spissitudinem, cuius correlatio copulatur per hoc nomen 'tenue'. Asperitas est proprietas quae inest alicui ex eo quod ipsum habet partes exteriores non politas sed unam superiorem et aliam inferiorem. Lenitas est proprietas quae inest alicui ex eo quod ipsum habet partes aequae erectas vel aequae demissae.

Et addit¹⁸¹ Auctor quod ista sint qualitates. Sed quia videntur e<ss>e qualitates, Boethius in commento ait "Si quis acutius inspiciat, potius videbuntur ei esse positiones quam qualitates".¹⁸² Ideo dicimus quod vel sunt positiones et sunt effectivae qualitatium; vel sunt qualitates, sed nec forma nec figura, quia sine dubio eadem forma inest raro et spisso, nec sunt aliqua praedictarum specierum qualitatibus.

Et hoc est: <10a16> Rarum vero et spissum, asperum et lene putabitur i.e. videntur qualitatem quidem significare, sed aliena huiusmodi putantur esse a divisione qualitatis, i.e. huiusmodi proprietates alienae sunt ab omni specie qualitatis. Et bene dico quod putantur esse qualitates, enim <i.e. quia> videntur significare quodammodo quandam positionem partium /16vA/ utrumque i.e. vel hoc 'rarum, spissum' vel hoc 'lene [vel] asperum'. Et probat quod videntur significare positionem in partibus: quidem i.e. certe illud est i.e. dicitur spissum eo quod partes eius sibi ipsae consertae sunt i.e. eo quod habeat partes consertas¹⁸³. Rarum vero eo quod partes distent a se invicem i.e. eo quod habeat distantiam in partibus, ut pumex¹⁸⁴. Et lene dicitur quod i.e. quia partes sibi iaceant in rectum, illud sc. quod planas et aequales habet partes. Asperum vero dicitur illud corpus quod i.e. quia haec i.e. una pars superet i.e. emineat, illa vero i.e. alia

¹⁸¹ addit] dicit O a.c.

¹⁸² Cf. Boeth., *Cat.* 251C-252B

¹⁸³ consertae – consertas] cons(er)te – cons(er)tas; propinqua Arist.

¹⁸⁴ pumex] sic O, cum paullo superius pumex scripsisset.

sit inferior i.e. magis depressa. Et idcirco ista videntur magis significare positionem i.e. situm quam qualitatem. <10a25> Et fortasse etc. Praedixi quattuor maneries qualitatis, et fortasse non dixi sufficienter de maneribus qualitatis. Et hoc est: Et fortasse alii appareant qualitatis modi, sed maxime hae dicuntur i.e. hae magis sunt in usu et magis notae.

<10a27> Qualitates itaque sunt quae praedictae sunt. Qualia vero etc. Sicut ab initio dictum est,¹⁸⁵ inscriptio huius praedicamenti talis est "Incipit de qualitate et quali". Agere de qualitate est agere de speciebus qualitatis; agere de quali est agere de sumptis a speciebus qualitatis. Et non est quaerenda ratio quare in hoc praedicamento agat Auctor de principalibus et sumptis et non in praedicamento quantitatis vel relationis. Non enim est inconueniens si plenius se expedit de hoc praedicamento quam de aliis.

Ex eo quod in hoc praedicamento agit Auctor de principalibus et sumptis conicimus principalia et sumpta contineri in aliquo praedicamento. Erant enim qui dicerent omne genus et omnem speciem contineri in primo praedicamento. Praedicamentum enim nihil aliud est quam modus praedicandi; sed et omne genus et omnis species praedicatur in quid, ergo et continetur in praedicamento primo. Quod utique verum est prout praedicamentum dicitur modus praedicandi, sed ibi in alia accipitur significatione.

Videndum est quomodo tam principalia quam sumpta contineantur in aliquo praedicamento. Terminus dupliciter continetur in praedicamento: significatione et subiectione. Terminus continetur in illo praedicamento significatione cuius praedicamenti rem significat, ut 'albedo' significat albedinem, sc. qualitatem, quare significatione continetur in praedicamento qualitatis. 'Albedo' etiam subicitur \universaliter/ huic generalissimo 'qualitas', ut 'omnis albedo est qualitas', quare subiectione continetur in praedicamento qualitatis. Similiter sumptum significatione continetur in illo praedicamento cuius rem significat, ut 'album' in praedicamento qualitatis significatione quoniam significat albedinem, sed non subiectione quia nullum album est qualitas.

Ex quo talem damus regulam: "Omne sumptum continetur in praedicamento substantiae" – "subiectione" supple, "substantivatum et in singulari numero"; aliter enim hoc falsum esset, quia hoc sumptum 'alba'

¹⁸⁵ *Nusquam dixit noster.*

substantivatum non subicitur huic generi 'substantia' immo huic accidenti substantiae. Similiter hoc sumptum 'albus' [[subicitur]] \praedicatur/ universaliter [[huic]] \de hoc/ termino 'populus' posito quod omnis populus sit albus, et idem sumptum subicitur huic generi 'substantia', ergo hoc genus 'substantia' praedicatur de hoc termino 'populus', quod falsum est, quia sunt opposita, nullus enim populus est substantia. Ideo dicimus praedicto modo supplendum esse.

Vel aliter potest dici quod nec genus nec species deberet facere discretionem alicuius accidentis, sicut enim hoc nomen 'asinus' non est species quia discernit sexum nec hoc nomen 'asina', similiter hoc nomen \homo/¹⁸⁶ non deberet esse species quia consignificat singularem numerum, sic hoc genus 'substantia' nullam deberet significare discretionem singularitatis, immo deberet esse tale ut aequipolleret huic orationi 'substantia vel substantiae', sed hoc impedit penuria vocabulorum.

Et sciendum quod praedicta regula surgit ex quadam nostra positione, ex eo scilicet quod dicimus quod nulli formae inest forma, quia si hoc sumptum 'album' contineatur subiectione in praedicamento qualitatis accideret proprietatem inesse qualitati. Rationes autem quibus praedictam positionem probamus alibi exposuimus.

Continuatio. Praedicta dicuntur qualitates, <10a27> vero i.e. sed qualia dicuntur quae secundum haec denominative dicuntur, i.e. illa quae denominative sumuntur a qualitatibus qualia dicuntur. Sed nihil denominative sumitur a qualitate nisi vocabulum, et si aliquid est quale, ipsum participat qualitate; nomen non participat qualitate; non ergo est quale. Ideo sic exponimus: Illa quae denominative sumuntur a qualitate dicuntur qualia i.e. copula/16vB/nt qualitates et continentur sub hoc universali 'quale'. Illa, inquam, quae denominative sumuntur sunt qualia vel quomodolibet aliter. Et exemplificat de denominative sumptis ut a candore candidus et a grammatica grammaticus et a iustitia iustus.

<10a32> Similiter putaret aliquis non nisi denominative sumpta esse qualia; hoc removet Auctor dicens alia etiam esse qualia. Et distinguit tria genera sumptorum: quaedam sumuntur a proprietatibus ita quod conveniant cum nomine proprietatis in principio et differant in fine, ut a candore 'candidus', et tantum ista dicuntur denominative sumpta. Quedam no-

¹⁸⁶ hoc nomen \homo/ hoc \homo/ nomen O.

mina sumuntur a proprietatibus quae nomina non habent, ut 'cursor' in [[illa]] quadam sua significatione sumitur a naturali potentia [[quae]] cuius nomen non habemus; et talia non sunt denominative sumpta sed sumpta. Quaedam sumuntur a proprietatibus quae nomina habent, sed differunt cum nomine proprietatis et in principio et in fine, ut a virtute 'studiosus'; et talia sunt iterum tantum sumpta. Quartum genus posset Auctor addidisse de illis quae sumuntur a proprietatibus et conveniunt cum nomine proprietatis et in principio et in fine, ut 'grammatica' adiectivum a 'grammatica' substantivo¹⁸⁷; sed forte ideo tacuit quia huius aequipollens non erat in graeco.

Continuatio. Non tantum ita contingit in his quae sumuntur denominative <10a32> autem i.e. sed similiter contingit et in aliis. In aliquibus vero non contingit ea quae dicuntur i.e. quae sumuntur a proprietatibus denominative dici ab eis sc. proprietatibus eo i.e. ideo quod non sint nomina qualitibus posita i.e. quia qualitates a quibus sumuntur nominibus carent. Et exemplificat de talibus: ut cursor et pugillator.

Sed quia ista nomina, ut praediximus, plures habent significationes, et in quibusdam significationibus sunt denominativa, sc. secundum quod significant peritiam vel actum, ostendit in qua significatione non sint denominative sumpta, in illa sc. qua significant naturalem potentiam. Et hoc est: <10a35> qui secundum naturalem valetudinem i.e. secundum quod significant naturales potentias non denominative sumitur ab aliqua qualitate. Et ostendit quare: quia non sunt nomina imposita naturalibus valetudinibus secundum quas isti quales dicuntur i.e. non sumuntur denominative secundum quod significant naturales potentias, sicut in disciplinis, quia secundum quod significant disciplinas denominative sumpta sunt secundum disciplinas. Dico secundum quas vel pugillatores vel palaestrici dicuntur secundum affectionem i.e. quia afficiuntur talibus peritiis quae dicuntur ab istis proprietatibus "pugillatoria" "cursoria". Et probat hoc: pugillatoria enim dicitur disciplina i.e. de numero disciplinarum est proprietas quae nominatur sic, et idcirco hi qui afficiuntur quales dicuntur denominative ab his i.e. nomina denominative sumpta conveniunt eis qui participant talibus proprietatibus. Et hoc probat: quod i.e. quia dispositi sunt ad ea<s>.

<10b5> Aliquando. Secundum impedimentum ostendit Auctor quare aliquod nomen non dicatur denominative sumptum, quia sc. differt a

187 substantivo] substantivum O.

nomine proprietatis et in principio et in fine. Et hoc est: Aliquando posito et i.e. etiam nomine i.e. licet nomen impositum sit id quod secundum ipsam quale quid dicitur i.e. sumptum ab illa proprietate non dicitur denominative, ut studiosus non sumitur denominative a virtute. Et hoc probat: ut i.e. quia habens virtutem dicitur studiosus, sed non dicitur a virtute i.e. hoc nomen 'studiosus' non convenit ei prout denominativum a virtute, cum ipsum non sit denominativum; non autem in plurimis hoc tale est i.e. non contingit in pluribus [in pluribus] sumptis quod nomen differat a principali et in principio et in fine. Ergo – illatio ex praedictis – qualia i.e. sumpta dicuntur aut[em] illa quaecumque ex his quae dicta<e> sunt qualitatibus denominative dicuntur vel quomodolibet aliter, quia tres sunt alii modi sumptionis, ut praediximus.

<10b 12> Inest autem etc. Expedit se Auctor de principalibus et sumptis in hoc praedicamento. Hoc facto assignat multa propria qualitatis, ut sic perveniat ad proprie proprium qualitatis. Et proprium quod hic assignat tale est: qualitati aliquid est contrarium. Non est hoc proprie proprium qualitatis, quia nec convenit omni qualitati, quia formae vel figurae nihil est contrarium; nec convenit soli qualitati, quia etiam convenit actioni, ut dicet Auctor inferius. Recipit autem facere et pati contrarietatem. /17rA/ Et hoc est: <10b12> Inest autem contrarietas secundum quod quale est, i.e. qualitati secundum quam aliquid dicitur quale, ut iustitia iniustitiae contraria est quantum ad ipsas proprietates quae contrarios habent effectus, vel quantum ad nomina principalia, et albedo nigredini – similiter de istis intellige – et alia; et non tantummodo principalia, dicuntur enim contraria autem i.e. sed \similiter/ quae secundum eas qualia dicuntur i.e. denominative sumpta. Et exemplificat de sumptis: ut iustum iniusto et album nigro. <10b15> Non autem. Hic ostendit quod hoc proprium non convenit omnibus qualitatibus, quia medio colori non. Et hoc est: in quibusdam ita est, non autem in omnibus hoc est i.e. hoc contingit ut rubeo i.e. rubori aut pallido i.e. pallori nil est contrarium, tamen illis existentibus qualitatibus i.e. licet ista sint qualitates. Quare non convenit omni qualitati.

<10b17> Amplius. Assignat hic Auctor quoddam documentum de contrariis, quod tale est: si unum contrariorum est quale, et reliquum erit quale; i.e. sub quocumque praedicamento continetur unum contrariorum, et reliquum. Nec est hoc mirum, contraria enim sunt quae sub eodem <genere> posita maxime differunt; ergo ad hoc quod aliqua sint contraria exigitur ut contineantur sub eodem genere; si sub eodem genere, ergo in

eodem praedicamento. Et hoc est: Amplius si ex contrariis unum fuerit quale, i.e. continetur in praedicamento qualitatis, et reliquum erit quale, i.e. continebitur in eodem praedicamento. Et non tantum hoc contingit circa qualitates, autem i.e. sed hoc palam est i.e. manifestum est proponenti i.e. consideranti ex singulis i.e. per singula alia praedicamenta. Bene dico quod si unum contrariorum continetur in aliquo praedicamento, reliquum continetur in eodem, nam si est iustitia iniustitiae contrarium, quale autem est iustitia i.e. iustitia continetur in praedicamento qualitatis, quale igitur est iniustitia, cum sit ei contraria. Et quandoquidem ita est quod sub quocumque praedicamento continetur unum, et reliquum, igitur nullum aliorum praedicamentorum i.e. nullum contentum in alio praedicamento aptabitur iustitiae pro contrario; vere nullum, quia neque quantitas i.e. aliquod contentum quantitatis neque ad aliquid i.e. nec aliquod contentum relationis nec omnino aliud quicquam i.e. nullum contentum alicuius praedicamenti nisi quale i.e. nisi aliquod contentum in praedicamento qualitatis. Sic autem et in aliis i.e. similiter contingit in omnibus aliis praedicamentis.

<10b26> Suscipit autem. Assignat Auctor aliud proprium qualitati, quod tale est: qualitas suscipit magis et minus. Hoc proprium nec convenit omni nec soli qualitati. Non omni, quia nec formae nec figurae. Non soli, quia convenit etiam actioni vel quibusdam relationibus. Et hoc est: Non tantum praedicta conveniunt qualitati, autem i.e. sed qualitas suscipit magis et minus. De proprietatibus potest intelligi quae int<e>nduntur et remittuntur, et de vocabulis¹⁸⁸ copulantibus proprietates quae recipiunt determinationes istorum adverbiorum ‘magis’ ‘minus’. Et hoc probat: album enim alterum altero magis et minus dicitur, et iustum alterum altero magis et minus dicitur. Sed quia duobus modis habet fieri collatio – fit enim collatio quandoque diversorum respectu eiusdem temporis, quandoque unius respectu diversorum temporum –, idcirco ostendit Auctor quod secundum utrumque istorum modorum suscipit qualitas magis et minus. Et primo ostendit de illa collatione quae fit unius ad se respectu diversorum temporum. Et hoc est: Bene dico quod qualitas suscipit magis et minus, enim i.e. quia et i.e. etiam ipsa suscipiunt crementum i.e. aliquid sibi ipsi confertur in aliqua qualitate per ‘magis’ adverbium respectu diversorum temporum. Et hoc probat: candidum namque cum sit i.e. cum aliquid sit candidum modo, contingit ipsum fieri magis candidum i.e.

¹⁸⁸ vocabulis] uoc(u)lal(is) O.

contingit quod candor ita possit intendi circa ipsum quod ipsum dicitur magis candidum quam sit.

Bene dico quod qualitates possunt intendi et remitti, et qualitativa vocabula possunt recipere 'magis' et 'minus', <10b29> non tamen omnia hoc possunt, sed plura. Et ostendit quare non omnia. Erant enim qui dicerent quod iustitia est collectio omnium iustitiarum, et nemo iustus nisi perfecte sit iustus, et ita nulla iustitia intensior alia, nullus magis /17rB/ iustus alio. Alii dicebant quod nulla iustitia intensior alia, et tamen aliquis est magis iustus alio, non \quia/ eius iustitia sit maior alia sed quia plures habet iustitias alio. Nos dicimus et quod iustitia intentior alia, et aliquid iustius est alio. Tria enim sunt circa quae attenditur proprietatis intensio: pluralitas scitorum, utilitas scitorum, firmitas scientis. Et hoc est quod Auctor intendit dicere: Iustitia namque ad iustitiam si dicatur magis et minus i.e. \si i.e. utrum/ [si] conferatur per magis et minus quilibet potest ambigere. In istis, inquam, ambigitur a quibusdam, similiter et in aliis affectionibus. Et hoc probat: <10b32> Quidam enim dubitant de talibus, enim i.e. quia ipsi aiunt iustitiam a iustitia non multum magis et minus dici i.e. ipsi aiunt non debere dici quod una iustitia sit magis iustitia quam alia; nec sanitatem a sanitate, i.e. ipsi dicunt quod non solet dici unam sanitatem magis esse sanitatem quam aliam. Ita, inquam, dicunt de principalibus, autem i.e. sed aiunt alterum altero minus habere sanitatem i.e. esse minus sanum; et ipsi aiunt alterum altero minus habere iustitiam i.e. minus esse iustum. <11a1> Sic autem. Ita ipsi dicunt principalia non suscipere magis et minus, sic autem et grammaticam et alios affectus¹⁸⁹ i.e. nomina significantia proprietates dicunt non suscipere huiusmodi determinationes sed tantum ea quae secundum eos affectus dicuntur i.e. quae denominantur ab illis proprietatibus indubitanter dicunt recipere magis et minus. Et bene dico quod recipiunt, enim i.e. quia alter altero dicitur grammaticior et iustior et sanior, sic et in aliis.

<11a5> Triangulus vero et quadrangulus. Hoc loco ostendit Auctor quod quaedam proprietates non suscipiunt magis et minus, ut triangulatio et quadrangulatio non intenduntur nec remittuntur, vel istae voces 'triangulum' quadrangulum' non suscipiunt has determinationes 'magis' 'minus'. Et hoc est: Triangulus <vero et> quadrangulus non suscipiunt magis et minus, nec aliquid aliarum figurarum i.e. nec alia nomina copulantes figuras. Et ostendit quare: ideo sc. quia omnes figurae triangulae

189 affectus] effectus cum a supra e primum superscripto O

aeque participant triangulatione. Similiter omnes figurae circulares aequae participant circulatione, ut ita dicam. Et hoc est: Quaecumque enim definitionem suscipiunt trianguli vel circuli similiter i.e. aequaliter sunt trianguli vel circuli. Et ita illa quae participant huiusmodi proprietatibus participant eis aequaliter, et ita non potest talibus attribui per 'magis' vel per 'minus', nec etiam illis quae non participant. Et hoc est: eorum vero quae non recipiunt i.e. quae non participant talibus proprietatibus nihil alterum altero magis vel minus dicitur i.e. nulli eorum potest attribui vere talis proprietas per 'magis' vel per 'minus'; enim i.e. quia nihil quadratum magis quam parte altera longior forma circuli est, cum neutrum eorum sit circulus. Quadratum dicitur figura quae habet quattuor latera et quattuor angulos aequales; sed quadrangulum potest dici quodlibet quod habet quattuor angulos, sive sint aequales sive non, ut medietas scacarii. Et bene dico quod neutrum dicitur magis circulus quam reliquum, enim i.e. \quia/ neutrum suscipit rationem circuli i.e. descriptionem. Hic est auctoritas quod bene dicitur 'cygnus est albior corvo'. <11a12> Simpliciter autem i.e. generaliter si utraque non recipit [d] rationem i.e. descriptionem propositi i.e. circuli non dicitur alterum altero magis i.e. non potest fieri collatio per 'magis' vel per 'minus' in aliqua proprietate inter aliqua quae non participant proprietate \qua/, inquam, fit collatio vere et affirmative. Et quandoquidem ita est quod talia quae qualitates sunt non suscipiunt magis et minus, non ergo omnia qualia recipiunt magis et minus, et ideo qualitatem suscipere magis et minus et qualitati nihil esse contrarium non sunt proprie propria¹⁹⁰ qualitatis. Et hoc est: Horum itaque quae praedicta sunt nil est proprie proprium qualitatis.

<11a15> Simile vero et dissimile etc. /17vA/ [Simile vero etc.] Assignavit Auctor duo propriae qualitatis, quorum neutrum est proprie proprium. Hoc loco assignat proprie proprium qualitatis, sc. secundum eam dici simile vel dissimile. Si aliquid participat aliqua qualitate et aliud eadem vel qualitate de eadem maniera, illud est ei simile. Item si aliquid participat aliqua qualitate, et illud nec eadem nec de eadem maniera, est ei dissimile. Sic ergo idem est simile alii, quia in aliqua qualitate, et dissimile eidem, quia in alia qualitate.

Sed cum Socrates participet sensibil[[e]]itate et asinus sensibilitate, ergo Socrates est similis asino, quia sensibilitate; quod sapit inconueniens.

¹⁹⁰ proprie propria] propria proprie O.

Ideo dicimus quod hoc nomen ‘similitudo’ tripliciter accipitur. Dicitur enim similitudo convenientia in quacumque proprietate; secundum hoc dicitur paritas esse similitudo in quantitate. Iterum dicitur similitudo omnis et sola convenientia in qualitate, et ita hic accipitur. Tertio dicitur similitudo omnis et sola convenientia in dispositione partium formae vel figurae, et sic Socrates non est similis asino.

Et nota quod hic assignantur duae propria qualitatis. Unum est esse effectivum similitudinis. Aliud est esse effectivum dissimilitudinis. Et hoc est: Simile vero et dissimile secundum qualitates solas dicitur i.e. qualitatis proprium secundum eam dici simile vel dissimile. Et probat Auctor [Auctor] quod tantum qualitati convenit hoc proprium: enim i.e. quia alterum alteri non dicitur simile nisi secundum quod quale est i.e. nisi secundum qualitatem, proprie supple. Quare – ex praedictis illatio – proprie proprium erit qualitatis secundum eam simile vel dissimile dici.

<11a20> At vero. Antipophora¹⁹¹ est quam hic ponit Auctor, i.e. responsio ad tacitam obiectionem. Posset enim quaeri quare Auctor de habitu et dispositione tractaverit et in praedicamento relationis et in praedicato qualitatis. Ad hoc Auctor duplicem ponet Platoniorum solutionem, et neutram veram, quoniam ipsius solutio nobis satis nota est.

Prima solutio Platoniorum est quod secundum eos habitus et dispositio continentur in praedicamento relationis, grammatica vero et <aliae> eorum¹⁹² species in praedicamento qualitatis, et ideo de his egit Auctor et in praedicamento qualitatis et relationis. Et hanc superius improbavit Auctor hac regula “Quando alterum etc.”, sed grammatica de dispositione, et dispositio de relatione, ergo grammatica de relatione.

Alia solutio secundum eosdem haec est quod revera grammatica <est> in praedicamento qualitatis, dispositio in praedicamento continetur relationis, et ideo non fuit inconveniens agere de his et in praedicato relationis et gratia specierum de his in praedicamento qualitatis. Quod superius hac regula improbatum est “Diversorum generum etc.”

Auctoris solutio haec est: Ipsa tantum continentur in praedicamento qualitatis, et ideo de his egit illo; et secundum Platoniorum opinionem egit de illis in praedicamento relationis.

¹⁹¹ antipophora] sic! O.

¹⁹² eorum] earum O.

Et hoc est: At vero non decet conturbari ne quis dicat nos de qualitate propositionem facientes i.e. ne quis dicat nos de qualitate tractantes ex proposito multa de relativis interposuisse; enim i.e. quia dicebamus habitus et dispositiones esse eorum quae ad aliquid \sunt/ i.e. de numero relativorum. Quia hoc dixit secundum Platoniorum opinionem. Et hic primam eorum subiungit rationem, quae talis est quod genera possunt contineri in praedicamento relationis,¹⁹³ ut disciplina, habitus et dispositio, licet eorum contenta, ut grammatica et alia, contineantur in praedicamento qualitatis. Et hoc est: paene enim in omnibus talibus, generibus sc. ut habitus, dispositio et disciplina et huiusmodi genera ad aliquid dicuntur i.e. continentur in praedicamento relationis.

<11a26> Nil autem eorum quae sunt singularia i.e. nulla species illorum generum continetur in eodem praedicamento. Et species nominat singularia quia sicut individua se habent ad species, ita species ad genera. Et probat quod genera continentur in praedicamento relationis: nam disciplina, cum sit genus i.e. hoc genus 'disciplina' dicitur alterius i.e. refertur /17vB/ ad aliud hoc ipsum quod est i.e. per propriam vocis essentiam; alicuius enim disciplina dicitur secundum Platonicos, ergo continetur in praedicamento relationis; vero i.e. sed eorum i.e. de numero illorum quae sunt singularia i.e. quae sunt species nihil i.e. nullum dicitur alterius i.e. refertur ad aliud hoc ipsum quod est i.e. per propriam vocis essentiam. Et hoc probat: ut grammatica non dicitur alicuius grammatica nec musica alicuius musica. Ita ista non referuntur ad alia per propriam nominis essentiam, <11a28> sed forte secundum genus i.e. per vocem generis, per nomen sc. generale, haec ad aliquid dicuntur. Et ostendit quomodo per nomen generale: ut grammatica dicitur alicuius disciplina, non alicuius grammatica, et musica alicuius disciplina, non alicuius musica, i.e. refertur ad aliquid per nomen generis et non per proprium. Quapropter i.e. quare singula i.e. species quae per se sunt i.e. species specialissimae non sunt ad aliquid i.e. non pertinent ad praedicamentum relationis. Et probat quod non spectant ad praedicamentum relationis: enim i.e. quia nos dicimur quales secundum illas. Eadem ratione posset Auctor probare quod genera talium specierum non continentur in praedicamento relationis; sed quod hic dicit secundum alios dictum est. Et probat quod secundum has species dicimur quales: enim i.e. quia nos habemus haec i.e. nos participamus istis, et dicimur scientes [dicimur] quod i.e. quia habemus singulas scientias i.e.

¹⁹³ relationis] qualitatis O.

participamus speciebus huius generis 'scientia'. Quare haec erunt qualitates quae singulatim sunt i.e. species talium generum secundum quas dicimur quales. Haec autem i.e. species non erunt eorum quae sunt ad aliquid i.e. quae continentur in praedicamento relationis.

<11a37> Amplius. Aliam ponit Platoniorum solutionem, quod sc. non est inconueniens si idem diversis considerationibus sit in diversis praedicamentis. Et hoc est: Amplius i.e. alia est ratio: nihil est inconueniens i.e. nullum est inconueniens si contingat hoc ipsum i.e. unum et idem esse quale et relativum i.e. contineri et in praedicamento qualitatis et in praedicamento relationis, et hoc in utrisque generibus annumerare i.e. ipsum numerare inter contenta utriusque generalissimi.

<9.11b1> <R>ECIPIT AUTEM etc.

Pertractatis¹⁹⁴ quattuor praedicamentis auctor iste sex sequentia quadam breuitate percurrit, cuius breuitatis triplex potest assignari ratio. Vel quia res illorum praedicamentorum satis notae erant, et ideo superfluum videretur de illis agere. Vel quia res ipsorum praedicamentorum nominibus carebant, et ideo de illis plena non posset tradi doctrina. Vel quia de his plene egit Auctor in quodam tractatu qui inscribitur De sex principiis, et ideo idem hic noluit repetere.

Inter haec primo agit Auctor de actione et passione. Unde videndum <i> quot habeat significationes¹⁹⁵ hoc nomen 'actio' vel hoc nomen 'passio', <ii> quae sint contenta in praedicamento actionis vel praedicamento passionis, <iii> quae sint sumpta a speciebus illorum, et <iv> ad quam interrogationem ipsa habeant responderi.

<i> 'Actio' et 'passio' large accipiuntur a grammaticis, secundum quos passio dicitur omnis illa proprietas ex cuius participatione subiectum

¹⁹⁴ Cf. Anon., *Comm. Arist. Cat.*, cod. Berol. 2^o624: 86rB: Pertractatis sufficienter quattuor praedicamentis transcurrit breuiter Aristoteles sex alia praedicamenta, ideo quia in alio opere tractauit de his sufficienter. *Fons originalis*: Boethius, *Cat.* 261D-262A: Decursis quattuor praedicamentis quae aliqua quaestione et consideratione ergo uidebantur, tenuiter caetera breuiterque perstringit. Et de facere quidem et pati nihil in hoc libro, nisi quod contraria suscipiant, et intentionem imminutionemque ab Aristotele est disputatum, in aliis uero eius operibus plene ab eo perfecteque tractata sunt, ut hoc ipsum de facere et pati in his libris quos Περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς inscripsit.

¹⁹⁵ significationes] [[accep]]signi/tiones O.

quodammodo ostenditur angustiari. Secundum hoc haec verba 'cado' 'titubo' 'palleo' 'rubeo' et huiusmodi significare \dicuntur/ passionem. Actio dicitur omnis proprietas significata per verbum quae non est passio, secundum quod haec verba 'sedeo' 'sum' 'vivo' significant actionem. Secundum hanc acceptionem dico quod omnis proprietas est actio vel passio; omnis enim proprietas significatur vel posset significari per verbum; ergo omnis est actio vel passio, vel aliqua potest significari per verbum quae non est actio vel passio. Si aliqua potest significari per verbum et non est actio, ergo aliqua potest esse actio et non est actio; non ergo 'actio' substantiale vocabulum est.

Penes dialecticos strictius accipiuntur haec nomina, ut dicatur actio proprietas inferens, passio proprietas illata. Non dico quod omnis actio sit effectiva passionis, quoniam cum dico 'laudo Caesarem', mihi inest actio significata per hoc verbum 'laudo', nulli tamen passio, quia nulla proprietas inest Caesari, cum Caesar non sit. Sed aliorum erat opinio quod haec locutio tantum impropria est, aliorum quod propria est sed falsa, aliorum quod sic ostenditur passio inesse /18rA/ verbis – sed secundum hoc accidet quod verba laudantur. Dicitur ergo actio inferens i.e. transiens i.e. significata per verbum transitivum.

Tertio modo posset dici actio vel passio proprietas rei agentis et proprietas rei passae \...¹⁹⁶ actionem(?) et passionem(?) ut laesio etc./. Sed secundum hoc actio esset passio et econverso, et passio posset esse[t] generalissimum in praedicamento actionis et actio in praedicamento passionis. Sed hae acceptiones¹⁹⁷ de his nominibus in usu celebres non sunt.

<ii> In praedicamento actionis generalissimum est actio, et cum auctoritas dicat¹⁹⁸ omne genus posse dividi per duas species nisi impediret penuria vocabulorum, potest dici quod duae proximae species actionis sunt actio transiens in rem rationabilem, \ut illa quae significatur per haec verba 'diligere' fortasse, 'laedere' vel alia,/ actio transiens in rem non rationabilem,¹⁹⁹ ut illa quae significatur per huiusmodi verba 'legere' 'enuntiare' et

¹⁹⁶ *Octo fere voces cum margo superior resecaretur perierunt. Pedes tantum quarundam litterarum extant.*

¹⁹⁷ acceptiones] acceptionis O a.c.

¹⁹⁸ Boethius, *Divis.* 883C: Fieret autem omnis definitio, omnisque diuisio duobus terminis, nisi (ut supradictum est) indigentia, quae saepe existit in nomine, prohiberet. Cf. Anon., *Comm. Cat., cod. Patavin.* BU 1587: 22rA: Item in Divisionibus "Nisi esset vocabulorum penuria, omnis definitio duobus clauderetur terminis".

¹⁹⁹ rationalem] ro()lem, i.e. rationalem vel rationabilem O, et sic bis paullo infra.

similia. Item, actio transiens in rem rationalem subdividitur in actionem a re animata transeuntem in rem rationalem et in actionem transeuntem a re inanimata in rem rationalem.

Species specialissimae sunt nomina verbalia significantia quasdam actionum species, \ut lectio, laesio/. Individua habentur praepositis illis pronominibus demonstrativis.

<iii-iv> Sumpta a rebus huius praedicamenti sunt verba ut 'lego' et participia ut 'legens' et similia, et ipsa habent responderi ad interrogationem factam per hanc vocem 'Quid agitur?'. Utrum autem verbum possit esse interrogativum alias dicimus.

De praedicamento passionis similiter considerandum est.

Continuatio: Non tantum qualitas habet contrarium, <11b1> autem i.e. sed facere et pati i.e. actio et passio recipit i.e. recipiunt contrarietatem et magis et minus, i.e. actionum una est alii contraria et una intensior vel remissior alia. Et probat Auctor quod dixit per exempli suppositionem: calefacere enim \et/ [[ad]] frigidum fieri²⁰⁰ contrarium [[est]] \habent/ i.e. actio calefaciendi contraria est actioni frige faciendi.

Hoc videtur esse falsum. Calefactio enim et frige factio possunt inesse eidem, ut si idem aliquid calefaciat et aliud frige faciat; ergo contraria essent in eodem. Ad hoc dicimus quod non quaelibet calefactio cuilibet frige factioni contraria, sed qualibet calefactio alicuius cuilibet frige factioni eiusdem contraria est. Nihil enim idem potest calefieri et frige fieri et secundum eandem partem.

Et hoc est: et calefieri et [[ad]] frigidum – ita est exponendum sicut de actione –; et delectari et contristari i.e. delectatio contristationi contraria est, ut delectatio in potu contristationi in siti. Sed quia duplex est delectatio, ut ait Auctor in Topicis,²⁰¹ delectatio sc. corporis et delectatio animae, de illa quae corporis est intelligendum, et ita delectatio corporis contraria est contristationi corporis. <11b4> Idcirco, sc. propter praedicta recipit contrarietatem²⁰² et magis et minus. Et hoc probat: calefacere enim et minus et magis dicitur i.e. aliqua calefactio intensior est vel remissior alia, quantum \ad/ actionem; et calefieri magis et minus, quantum ad passionem. De re ipsa vel de voce potest intelligi. Ergo – conclusio ex

²⁰⁰ fieri] facere *Arist., quam lectionem expositio nostri respicere videtur.*

²⁰¹ *Arist., Top. 1.15.106b1-3, trl. Boethii, AL 5.1: 22.22-24*

²⁰² contrarietatem] contra. **O**.

praedictis – recipit magis et minus facere et pati i.e. actio et passio. De his itaque tanta dicantur i.e. ista sufficiant de actione et passione.

<11b8> Dictum est. Hoc loco expedit se Auctor de septimo praedicamento, sc. de praedicamento situs, et hoc admodum paucis, ideo sc. quia de eo mentio facta est in praedicamento relationis. Unde breviter considerandum est quid sit generalissimum in praedicamento hoc, quae media, quae individua, quae sint sumpta a rebus huius praedicamenti, et ad quam interrogationem habeant responderi.

Generalissimum huius praedicamenti est positio, et est positio proprietatis habendi [[aliquid quod pertinet ad ornamentum vel munimentum corporis]]²⁰³ \partes aliquo modo positas/. Differentia est inter positionem et formam vel figuram. Positio[[n]] consideratur secundum partium positionem, forma et figura considerantur secundum partium dispositionem. Aliquid habens eandem positionem diversas potest habere dispositiones, ut aliquid sedens potest [[habere partes uno et alio modo dispositas]] \esse rotundum vel quadratum/. Et aliquid habens eandem dispositionem²⁰⁴ potest habere diversas positiones, potest enim esse sedens vel stans et huiusmodi. /18rB/

Primae species positionis sunt ‘rectio’ ‘incurvatio’. Species specialissimae harum sunt ‘statio’ ‘sessio’ et similia. Individua sunt ‘haec statio’ ‘haec sessio’. Sumpta ab his speciebus sunt ‘stans’ ‘sedens’. Et habent responderi ad hanc interrogationem ‘Quodmodo positum est quid?’, ut ‘Quomodo positus est Socrates?’ ‘Stat’ ‘Sedet’ et similia.

Et hoc est: <<b8> De situ autem in his quae ad aliquid sunt i.e. in praedicamento relationis dictum est quod i.e. quia denominative a positionibus dicuntur. Ibi enim dixit “Iacere et stare et sedere non sunt positiones, sed denominative sumpta a positionibus”.²⁰⁵

<11b10> De reliquis autem. De reliquis tribus praedicamentis breviter se expedit Auctor, sc. de his: quando, ubi, habere.

In praedicamento quando et praedicamento [[habere]] ubi nec habemus generalissima nec media, sed ea circumloquimur quibusdam orationibus \quia nullus terminus complexus est genus vel species/.

²⁰³ aliquid – corporis] haec in definitione praedicamenti habitus (infra, fol. 18vB) suum locum habent.

²⁰⁴ dispositionem] dispositiones O a.c.

²⁰⁵ Arist., Cat. 7.6b12-14

In praedicamento quando generalissimum est 'existentia in tempore', i.e. proprietas existendi in tempore.

Primae species possunt dici 'existentia in simplici tempore' 'existentia in composito tempore'. Ulteriores species sunt 'existentia in die' 'existentia in anno' 'existentia in momento'. Adhuc ulteriores sunt 'existentia in ha<c> die' 'existentia in hoc momento'.

Individua sunt 'haec existentia in die' 'haec existentia in momento' et huiusmodi.

Sumpta a rebus huius praedicamenti sunt non nomina sed adverbia, et illa attribuunt res suas non rebus subiectis sed rebus verborum,²⁰⁶ ut 'Socrates hodie currit' non existentiae Socratis sed cursui Socratis attribuo hodiernam existentiam; unde ipsa falsa est nisi Socrates hodie currat. Sumpta sunt haec: 'hodie' 'cras' et similia. Et habent responderi ad interrogationem factam per 'Quando?'. Et fortasse nomina possent esse sumpta, et attribuerent res suas rebus nominum, et interrogativum quod quaereret de rebus nominum.

In praedicamento ubi generalissimum est 'existentia in loco'.

Primae species sunt existentia in simplici loco, existentia in composito loco. Ulteriores species sunt non 'existentia in civitate' vel 'existentia in domo', quia ista notant artificium et nullus terminus artificium importans²⁰⁷ genus est vel species, sed haec: 'existentia in hoc loco', 'existentia in illo loco'.

Individua sunt 'haec existentia in hoc loco' 'haec existentia in illo' etc.

Sumpta sunt similiter non nomina sed adverbia, ut 'illic' 'hic' et similia. Et possunt talia esse nomina, et ipsa respondentur <ad interrogationem> factam per 'Ubi?'. Et etiam attribuunt non rebus nominum \res suas/²⁰⁸ sed rebus verborum, et haec 'Socrates est hic' prout 'hic' est sumptum tantundem significat quod haec 'Socrates est in <hoc> loco'.

In tertio praedicamento generalissimum est 'habitus' hic terminus. Et est habitus, prout hic accipitur, proprietas habendi aliquid quod pertinet ad munimentum vel ornamentum corporis.

²⁰⁶ verborum] adverbiorum O.

²⁰⁷ importans] important O.

²⁰⁸ res suas s.l. *antequam* verborum *scripsit supra* sed rebus *add.* O, *signum insertionis nesciatur falso loco posuit, nam inter rebus et verborum extat.*

Primae eius species sunt proprietas habendi aliquid quod pertinet ad munimentum corporis, proprietas habendi aliquid quod pertinet ad ornamentum corporis. Ulteriores species sunt armatura, vestitura et huiusmodi. Species [[species]] specialissimae sunt [[ca(?))] 'loricatio' 'tunicatio' et huiusmodi.

Individua sunt haec locutio 'haec tunicatio' et huiusmodi.

Sumpta sunt 'armatus' 'loricatus' 'tunicatus'. Et fortasse non haec sunt sumpta, nec sumuntur a speciebus, quia huiusmodi important quoddam artificium.

Et habent responderi ad hanc interrogationem 'Quomodo se habet?', ut 'Quomodo se habet Socrates?' – 'Socrates est tunicatus' 'Socrates est armatus'. Et haec duplex est 'Socrates habet cappam', ponitur enim 'habet' pro 'possidet', et sic vera est etiam si habeat eam domi; prout 'habet' sumitur ab habitu, non erit vera nisi habeat Socrates cappam circa se'.

Et hoc est: <11b10> De reliquis autem sc. de hiis quando ubi habere nihil aliud dicitur a nobis quam quae in principio dicta sunt, /18vA/ hoc sc. quod habere significat calciatum esse et armatum esse, i.e. armatio caligatio species sunt habitus ubi autem significat in loco. Sed et alia quidem sufficiant quae de his dicta sunt. De propositis itaque generibus, de his sc. quattuor quae dicta sunt sufficiant.

<10.11b17> <D>ICITUR AUTEM ALTERUM ALTERI etc.

Sicut ab initio huius operis dictum est, in Antepaedicamentis egit Auctor de quibusdam quae necessaria erant ad sequentium cognitionem, \sc. de aequivocis, univocis et denominativis/. In hoc tractatu, qui inscribitur Postpaedicamenta, agit etiam Auctor de quibusdam quae utilia sunt ad praecedentium doctrinam.

Haec autem distinctio quinque capitulis distinguitur. In primo agit de speciebus oppositionum, in secundo de distinctione multiplicитatis huius dictionis 'prius', in tertio de distinctione multiplicитatis huius dictionis 'simul', in quarto de motu et eius speciebus, in quinto de diversis significationibus huius verbi 'habere'.

Inter haec primo agit de oppositis. Dictum est enim superius qualitati aliquid esse contrarium, substantiae vero, quantitati et relationi nihil esse contrarium. Qui locus remaneret incognitus nisi scito quae essent [[contraria]] \opposita, quoniam contrarietas inferius est ad oppositio-

nem. Item, superius facta est mentio de relativis, et \omnia/ relativa sunt opposita; ideo merito subiungit de illis.

Unde paucis videndum est <i> quot significationes habeat hoc nomen 'opposita', et <ii> in qua hic accipitur, et <iii> utrum divisio Auctoris sufficiens sit et per opposita.

<i> Hoc nomen 'opposita' tres habet acceptiones. In prima dicuntur opposita quaecumque a se prorsus removentur.

Sed haec descriptio nec convenit omnibus oppositis, quoniam haec 'albet' 'nigret' sunt opposita, nec tamen a se possunt removeri, quia nullo verbum potest subici. Nec convenit solis oppositis, quia haec 'nomen' 'verbum' a se removentur, ut 'nullum nomen est verbum', sed hanc concedimus 'id quod est nomen est verbum', non tamen 'nomen est verbum'. Tamen illa non sunt opposita quia praedicantur de eodem individuo, ut 'hoc est nomen, hoc est verbum' demonstrata hac voce 'canis'.

Ideo aliter dicuntur opposita, illa sc. quae talia sunt quod si unum praedicatur de aliquo, reliquum removetur ab eodem. Secundum hoc licet nullus homo sit albus, non tamen sequitur 'si aliquid est homo, ipsum non est album'.

Largius etiam accipitur hoc nomen 'opposita' ut dicantur illa opposita quae talia sunt quod ad positionem²⁰⁹ unius sequitur remotionem alterius, saltem probabiliter, ut 'si aliquid est homo, ipsum non est asinus'. In hac acceptione opposita sunt simpliciter opposita. In prima acceptione opposita sunt opposita ut nunc.

<ii> Sed in nulla praedictarum descriptionum potest accipi hoc nomen 'opposita' hic "Oppositorum quaedam sunt contraria, quaedam relativa, quaedam etc.", quia plura quam duo, ut homo asinus leo capra, talia sunt quod ad positionem²¹⁰ unius sequitur remotio alterius, et [[a]]\i/lla a se prorsus removentur; ergo illa essent opposita; ergo vel relativa sunt vel opposita ut affirmatio et negatio vel ut privatio et habitus, vel sunt contraria. Item, haec 'magnum' 'parvum' non removentur a se prorsus, quoniam eidem conveniunt, cum idem sit magnum et parvum. Similiter idem /18vB/ est pater et filius. Ergo illa non erunt opposita.

Ideo aliter solet dici: Opposita sunt quae vel sunt contraria vel relativa vel affirmatio et negatio vel privatio et habitus.

209 positionem] praedictionem O.

210 positionem] praedictionem O.

Melius autem dicuntur opposita illa inter quae est talis habitudo quae non potest inveniri nisi inter duo, et sunt talia quae non possunt eidem convenire eodem respectu. “Nisi inter duo” dico propter praedicta <***> non conveniunt eidem eodem respectu, et sic ista sunt opposita ‘magnum’ ‘parvum’ et similia, quia non eodem respectu conveniunt alicui.

<iii> Sed videtur quod haec divisio non sit sufficiens, quia haec praedicabilia ‘homo’ ‘asinus’ sunt opposita, non tamen sunt opposita ut relativa, nec ut affirmatio et negatio, nec ut privatio et habitus, nec ut contraria. Et constat quod sint opposita, quia cum ipsa sint praedicabilia, ergo habent se ut pars et totum vel ut excedentia et excessa vel ut paria <vel ut opposita>. Non ut excedentia et excessa, quia non praedicantur de se particulariter; nec ut paria, quia non de quocumque unum et reliquum; nec ut pars et totum, quia unus non est inferior alio; ergo ut opposita. Et ita illa divisio non erit sufficiens.

Solutio huius pendet ex aequivocatione. Dicuntur enim opposita illa praedicabilia quae aliquo istorum quattuor modorum opponuntur. Et dicuntur opposita quae nec de se invicem nec de aliquo eodem praedicantur. Secundum hoc haec praedicabilia ‘homo’ ‘asinus’ sunt opposita, i.e. disparata sive repugnantia, et non sunt opposita in alia huius nominis acceptione. Sunt ergo opposita et non sunt opposita. Et ita divisio sufficiens est et per opposita.

Sed dubitatur quomodo facienda sit divisio, utrum sic “Oppositorum quaedam sunt contraria, quaedam relativa, quaedam etc.” Quod si est, ergo aliquot oppositorum quaedam sunt relativa; sed non nisi duo sunt opposita; ergo quaedam relativa sunt de numero duum oppositorum; ergo aliqua sunt de numero duum;²¹¹ quod est inconveniens.

Item, si sic debeat fieri divisio: “Omnia opposita vel sunt relativa vel contraria vel talia vel talia”, ita ut haec coniunctio ‘vel’ disiunctive ponatur, eadem ratione haec erit conveniens divisio “\Omnia/ opposita vel sunt relativa vel opposita ut homo et asinus, vel qualiacumque, cum altera pars disiunctae sit vera.

Ideo dicimus divisionem sic esse faciendam: Opposita sunt omnia talia quae vel sunt opposita ut contraria vel ut relativa vel ut affirmatio et negatio vel ut privatio et habitus.

²¹¹ duum – duum] duorum – duorum *malim*.

Sed haec coniunctio ‘vel’ quinque habet significationes. Ponitur enim disiunctive ut ‘Socrates est homo vel asinus’. Ponitur subdisiunctive ut ‘Alexander vel Paris’. Ponitur divisive ut ‘omne animal est rationale vel irrationale’, \ita/ tamen quod nec omne est rationale nec omne irrationale; sic ponitur hic. Quandoque notat vicissitudinem ut ‘remiger aut attrahit remum aut²¹² impellit’ i.e. “quandoque attrahit, quandoque impellit”. Ponitur etiam copulative ut ‘iste vel ille duces’ i.e. “iste et ille”.

Continuatio: Non prolixius tractabo de praedictis sex praedicamentis, <11b16> autem i.e. sed subiungam quaedam alia quae necessaria sunt ad praecedentium notitiam. Et hoc est: dicendum est quotiens i.e. quot modis solet opponi, alterum alteri supple, i.e. dicendum est quot sint modi oppositionis. <11b17> Dicitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, quadrupliciter i.e. quattuor modis, vel quattuor modorum quolibet, quoniam nullum adverbium discernit singularitatem vel pluralitatem.

Si enim ‘quadrupliciter’ idem sit quod “quattuor modis”, ergo aliquid alicui opponitur quattuor modis; ergo aliqua duo opponuntur quattuor modis; sed singula duo opponuntur uno solo modo; nulla ergo opponuntur quattuor modis.

Item, si ‘quadrupliciter’ idem significet quod “quattuor modorum quolibet”, hoc iterum /19rA/ falsum est, quoniam nulla duo opponuntur quolibet quattuor praedictorum modorum.

Ideo praedicto modo exponimus, ita ut hoc adverbium ‘quadrupliciter’ ponatur in principio propositionis, hoc modo: quadrupliciter alterum alteri opponitur. Et hoc nomen ‘alterum’ ponitur partitive, sc. pro hoc nomine ‘unum’; et hoc nomen ‘alteri’ ponitur relative, sicut hic ‘animalium aliud est rationale, aliud irrationale’ i.e. animalium unum est rationale, aliud est irrationale. Et hoc nomen ‘alterum’ non ponitur pro aliquo suorum appellatorum, confer<t> enim ei confusionem adverbium praecedens, sicut hic ‘non homo currit’ hoc nomen ‘homo’ non ponitur pro aliquo suorum appellatorum. Sic et alia multa adverbia.

Est ergo sensus: quadrupliciter opponitur alterum alteri i.e. prorsus alii, vel sibi ipsi alterato, i.e. in alio casu prolato, ut ‘simile’

Sed quaeritur quid subiciatur in praedicta propositione; non enim hoc adverbium ‘quadrupliciter’, quoniam dicimus quod nullum adverbium potest facere suppositionem, nec etiam localia vel temporalia, de quibus

²¹² aut – aut] vel – vel *contextus requirit*.

magis videtur. Subicitur ergo hoc nomen 'alterum', et tamen alius esset sensus si poneretur a parte subiecti.

Continuatio: Opponuntur, inquam, aliqua quattuor modis, quia aut opponuntur <11b27> ut ad aliquid i.e. ut relativa, aut ut contraria, ut 'album' 'nigrum', aut ut habitus et privatio, ut 'visus' 'caecitas', aut ut affirmatio et negatio, ut 'sedet' 'non sedet'.

Et hac littera videtur ostendi plura esse genera oppositionum quam quattuor, quia visus opponitur caecitati ut habitus privationi, et caecitas opponitur visui ut privatio habitui, visio et caecitas opponuntur ut habitus et privatio. Eodem modo potest ostendi de aliis oppositis ut affirmatio et negatio, quia alio modo opponitur affirmatio negationi quam negatio affirmationi, et sic de reliquis.

Nos dicimus quod illi tres modi sunt unus modus opponendi. Nec est inconveniens si aliquis modus dividatur in plures alios modos, sicut octo sunt partes orationis i.e. octo genera partium orationis, et diversis generibus opponuntur in speciali, sicut mille sunt partes orationis.

<11b19> Opponuntur autem etc. Utitur hic Auctor prolempsi, ita lege: unumquodque praedictorum opponitur supple alii i.e. unicuique praedictorum convenit aliqua species oppositionis, ut sit figuratim dicere i.e. exemplariter seu²¹³ manifeste et evidenter. Et tractum est a geometris, qui per subiectam figuram exemplariter seu manifeste docent quae dicunt. Et consequenter docet Auctor exemplariter, et primo de his quae opponuntur ut relativa. Et hoc est: opponuntur, inquam, ut relativa, ut duplum dimidio i.e. subduplo ut contraria, ut bonum malo, ut secundum privationem et habitum, ut caecitas visui, ut affirmatio et negatio, ut sedet, non sedet: de omnibus istis in sequentibus plenius dicitur.

<11b24> Quaecumque etc. Positis exemplis de oppositis secundum unamquamque speciem oppositionis, hoc loco incipit singulatim tractare de qualibet specie. Et primo agit de oppositis ut relativa. Sed cum relativa largius dicantur, ut secundum Platonicos, et strictius, ut secundum Aristot[[i]]licos, notandum quod in utraque illarum acceptionum Auctor utitur hoc nomine 'relativum'.

²¹³ seu] sed non O.

Sed videtur posse probari quod omnia opposita sunt relativa, hoc modo: Omnis oppositio est relatio, ergo omnia opposita sunt relativa, iuxta illud “si principale de principali, et sumptum de sumpto”.

Ad hoc duplex est solutio.

Primo dicimus quod haec falsa est “Omnis oppositio est relatio”, quia \omnis/ relatio proprietas est; ergo oppositio proprietas est, ergo inest substantiae vel substantiis, secundum nos qui dicimus quod formae non inest forma.

Vel aliter, concesso quod formae inest forma, et sic haec vera est “Omnis oppositio est relatio”,²¹⁴ sed tunc potius deberet inferri “ergo omnia opposita sunt re/19rB/lata” quam “relativa”, quia si praedicabile est relativum in hoc sensu quod ‘relativum’ sumatur a relatione, ergo praedicabile participat relatione. Dicimus ergo quod ‘relatum’ sumitur a relatione et ‘relativum’ a relativitate. Et est relativitas proprietas quae inest principali ex eo quod ipsum copulat relationem, ut ‘pater’, vel appellat, ut ‘paternitas’.

Et hoc est: <11b24> Quaecumque igitur – inceptive legatur – opponuntur ut relativa dicuntur aliorum i.e. referuntur ad alia in genitivo casu hoc ipsum quod sunt i.e. per propriam vocis essentiam; per genitivum, inquam, aut quomodolibet aliter i.e. per quemcumque alium casum. Et exemplificat de illis quae referuntur ad alia per genitivum, et hoc est: ut duplum dimidii dicitur i.e. refertur ad dimidium hoc ipsum quod est i.e. per propriam vocis essentiam. Vere dico per genitivum, enim i.e. quia duplum dimidii alicuius dicitur.

<11b27> Sed etc. Hoc loco subiungit de illis quae vere relativa non sunt. Continuatio: Non tantum praedicta referuntur ad alia per propriam vocis essentiam sed etiam disciplina est opposita tamquam relativa disciplinato. Bene dicit ‘tamquam’, quia ista non sunt vere opposita ut relativa. Et sciendum quod multa sunt opposita ut relativa quae tamen non sunt relativa, et multa ut affirmatio et negatio quae tamen non sunt affirmatio et negatio; et fortasse similiter in aliis. Et disciplina dicitur disciplinati i.e. refertur ad hoc nomen ‘disciplinatum’, hoc ipsum quod est i.e. per propriam vocis essentiam. Et hoc probat: disciplinatum enim dicimus aliquem disciplina, aliquis enim dicitur disciplinâ disciplinatus. <11b32>

²¹⁴ In ima pagina, sine signo insertionis: et nota quod nulla oppositio est relatio

Quaecumque ergo etc. Ex praedictis est illatio. Quaecumque ergo opposita sunt tamquam ad aliquid i.e. ut relativa dicuntur aliorum i.e. referuntur ad alia per genitivum casum hoc ipsum quod sunt i.e. per propriam vocis essentiam aut quomodolibet aliter ad invicem i.e. per que<m>cumque alium casum, dum per propriam vocis essentiam.

<11b33> Illa vero etc. Egit Auctor de oppositis ut relativa, hoc loco agit de oppositis ut contraria. Et hoc modo: primo ostendit differentiam inter opposita ut relativa et opposita ut contraria, postea tamquam praemissa hac divisione “contrariorum”²¹⁵ quaedam sunt immediata, quaedam mediata” primo agit de immediatis et consequenter de mediatis. Haec est differentia inter relativa et contraria quod relativa referuntur ad se per propriam vocis essentiam, ut ‘pater filii pater – filius patris filius’, sed non contraria, non enim dicitur ‘bonum mali bonum – malum boni malum’, sed possunt ad se referri per vocem superiorem, ut bonum est contrarium malo et malum contrarium bono.

Et hoc est: Praedicta referuntur per propriam vocis essentiam, autem i.e. sed quae sunt contraria illa non dicuntur alio modo ad se ipsa quae sunt i.e. per propriam vocis essentiam, vero i.e. sed contraria sibi invicem dicuntur i.e. ad se referuntur per hanc vocem ‘contraria’ et non per propriam vocis essentiam. Et hoc probat: neque enim dicitur bonum mali bonum i.e. non ita refertur ad illud per propriam vocem sed per hanc contrarium; nec etiam dicitur album nigri album, sed contrarium, i.e. per hanc vocem ‘contrarium’. Quare hae contrarietates i.e. hae oppositiones differunt a se invicem. Hinc sumpta auctoritate vocavit Tullius omnia opposita contraria, et eodem modo dividit [[au]]Tullius contraria quo et Aristoteles opposita, et in divisione ubi Aristoteles ponit ‘contraria’ posuit Tullius ‘adversa’, unde locus ab oppositis secundum Themistium locus est a contrariis secundum Tullium.²¹⁶

<11b38> Quaecumque vero etc. Postquam egit Auctor de oppositis ut contraria, tamquam praemissa contrariorum divisione agit de contrariis immediatis et de mediatis. Immediata dicuntur illa contraria quae nullum habent medium, ut ‘sanum’ ‘aegrum’; mediata quae aliquod habent medium, ut ‘album’ ‘nigrum’ quod dicitur medius color.

²¹⁵ contrariorum] *supra spatium vacuum scripsit* O.

²¹⁶ Cicero, *Topica* xi.47 *cum comm. Boethii* (PL 64: 1119); cf. Boeth., *Top. Diff.* .3.17 (1197D) & (*de loco Themistiano*) 3.8.13 (1205A)..

Contra hanc divisionem multipliciter solet obici.

Primo sic: /19vA/ Posito quod medius color tollatur de medio et omne \corpus/ sit album vel nigrum: album et nigrum sunt contraria, ergo contraria mediata vel contraria immediata; probo quod immediata, quoniam non habent medium, ergo sunt contraria immediata; probo quod mediata, quia possibile est subiectum albedinis vel nigredinis esse et neutra illarum participare, ergo sunt contraria mediata.

Solutio. Haec 'mediata' 'immediata' nomina \sunt/ aptitudinis et non actus, et dicuntur illa contraria immediata quae nec habent nec sunt apta habere medium, mediata quae vel habent vel sunt apta habere medium. Patet ergo quod haec 'album' 'nigrum' contraria sunt mediata, quia licet non habeant, tamen sunt apta habere medium.

Item 'sanum' 'aegrum' sunt contraria immediata, ergo circa nihil non sunt nisi immediata, ergo circa corpus sunt immediata; si immediata, ergo nihil est corpus quod non participet alterutro illorum; si dicuntur mediata circa corpus, ergo sunt mediata.

Similis est obiectio a contrario: Posito quod A sit genus continens tantum has duas species 'corvus' 'cygnus': 'album' 'nigrum' sunt contraria circa hoc genus A, ergo contraria mediata vel immediata; si immediata sunt circa A, ergo sunt immediata; si mediata, ergo \aliquod/ appellatum A potest esse et non esse album vel nigrum.

Ad hoc sic solvimus: Praedicabilia non sunt contraria mediata vel immediata circa aliquid nisi circa eorum sufficiens subiectum. Sufficiens subiectum appello \cuius/ omne et solum [[illud quod participat proprietate alicuius contrariorum]] \appellatum susceptibile est alterius contrariorum/. Nec ergo sanum et aegrum sunt contraria mediata vel immediata circa corpus, nec album et nigrum sunt contraria mediata vel immediata circa A, sed sanum et aegrum contraria sunt immediata circa animalia, quia omne et solum animal est sanum vel aegrum; album et nigrum contraria sunt mediata circa corpus, quia omne et solum corpus est album vel nigrum vel medio colore coloratum.

Item, mea sanitas et tua aegritudo sunt contraria; ergo mediata vel immediata; si mediata, ergo sumpta ab illis – 'sanum' 'aegrum' – sunt contraria mediata; si immediata, ergo alterutrum subiectum non potest esse et neutra participare, immo ego possum esse et nec participare mea sanitate nec tua aegritudine.

Ad hoc dicimus quod et formae sunt contrariae, ut haec albedo illi nigredini, et quaelibet forma eiusdem speciei specialissimae cum hac albedine contraria est cuilibet eiusdem speciei specialissimae cum illa nigredine. Species etiam sunt contrariae, quando quodlibet appellatum unius contrarium est cuilibet appellato alterius, ut 'albedo' 'nigredo'. Species non specialissimae, sc. genera subalterna, contraria sunt quando quodlibet appellatum unius contrarium est alicui appellato alterius vel econverso, ut 'virtus' 'vitium', quia quaelibet virtus [[cuilibet]] \alicui/ vitio contraria est, sed non quaelibet cuilibet, ut castitas et avaritia. Sumpta sunt contraria omnia et sola illa quae sumuntur a contrariis speciebus specialissimis, ut 'sanum' 'aegrum', 'album' 'nigrum', et haec divisio tantum de sumptis intelligenda est.

Quod si talis fiat argumentatio "Omnia contraria sunt mediata vel immediata, sed haec albedo et illa nigredo sunt contraria, ergo mediata vel immediata", instantia: "Substantiarum alia prima alia secunda, sed iste homo est substantia, ergo prima vel secunda"; – non est verum, quia sicut haec tantum de principalibus,²¹⁷ ita illa tantum de sumptis intelligitur.

Cetera circa hanc divisionem dubitabilia disputationi relinquimus.

Continuatio: Contrariorum quaedam sunt mediata, quaedam immediata, et non solum illa sunt immediata quorum si unum non inest suo susceptibili \inest/ reliquum, <11b38> vero i.e. sed illa quae/ [sed quae] talia sunt quod si unum non inest necessarium est alterum inesse suo susceptibili. Et hoc est: Quaecumque contrariorum talia sunt ut necessarium sit alterum ipsorum inesse eis in quibus nata sunt i.e. quibus naturaliter insunt, quantum ad ipsas res, /19vB/ vel de quibus praedicantur, quantum ad praedicabilia.

Dupliciter dicitur aliquid inesse alii: vel per inhaerentiam vel per praedicationem. Per inhaerentiam inest albedo Socrati, per praedicationem inest hic terminus 'album' huic nomini 'Socrates', et hunc duplicem modum in proximo notavit Auctor: <12a2> Eorum, sc. quae talia sunt ut praediximus, nihil est medium i.e. talia sunt contraria immediata. Illa, inquam, sunt contraria immediata, vero i.e. sed illa, contraria supple, quorum i.e. de numero quorum non est necessarium alterum inesse, horum omnium aliquid est medium i.e. talia omnia medium habent omnino i.e. universaliter sive generaliter. Et primo exemplificat de illis quae sunt con-

²¹⁷ principalibus] p(raedicabi)libus O.

traria immediata, et hoc est: ut languor et sanitas habent fieri natura i.e. per naturam in corpore animalis, et necessarium est alterum esse in corpore animalis. Necessarium est, inquam, alterum inesse, vel languorem vel sanitatem. Physici tamen medium constituunt, sed hoc non spectat ad hanc facultatem. Et non tantummodo praedicta sunt contraria immediata <12a6> sed et par et impar i.e. istae duae differentiae 'par' 'impar' praedicantur de numero, et necessarium est alterum inesse numero, et sic sunt contraria immediata circa numerum.

Si quis dicat quod accidens est in accidente, hoc secum facit. Si autem quis contrarium teneat, hoc modo potest exponere quod 'par' et 'impar' praedicantur de numero: non quod paritas et imparitas sint in numero, sed quia res numero participantes sunt pares aut impares, 'par' et 'impar' sunt immediata circa numerum.

<12a8> aut abundans et perfectum. Idem est numerum esse parem et perfectum, et numerus impar est abundans, quia in divisione eius superabundat quiddam²¹⁸ et propter illud iudicatur numerus abundans. Bene dico quod abundans et perfectum sunt contraria immediata et nihil est in medio eorum – inter praedicta nihil est medium neque inter languorem et sanitatem neque inter abundantem et perfectum. Vere praedicta non habent medium, vero i.e. sed eorum quorum non est necessarium alterum inesse aliquid est medium i.e. sunt mediata. Et exemplificat de talibus: ut nigrum et album <in> corpore natura²¹⁹ habent fieri, et non est necessarium alterum eorum inesse corpori. Et probat quod non est necessarium: enim i.e. quia non omne corpus est album vel nigrum, quia quoddam varium est. Et non tantum praedicta sunt contraria mediata, <12a13> sed et pravum et studiosum praedicatur de homine et de aliis multis, sed non est necessarium alterum inesse eis de quibus praedicatur, non enim omnia prava sunt aut studiosa.

Hoc autem intelligendum est secundum gentiles qui dicebant quod homines in alio non erant obnoxii suo creatori, et medium <esse> inter bonum et malum, quod neque bonum neque malum est, secundum quos non omnis homo bonus vel malus. Sed cum aliquis in eo quod non est malus sit bonus et econverso, nunc dicimus quod bonum et malum immediata sunt circa hominem.

Bene dico quod praedicta sunt contraria immediata <12a17> et horum medium est, albi quidem et nigri fuscum et pallidum et quicumque alii

218 quiddam] quic[[q(uae)]]dam O.

219 natura] vel naturam O.

colores medii sunt, vero i.e. sed pravi et studiosi i.e. istorum praedicabilium 'pravum' 'studiosum' medium est quod neque pravum neque studiosum i.e. susceptible pravi et studiosi quod nec pravum est nec studiosum.

<12a20> In aliquibus. Hoc loco ostendit Auctor quod in quibusdam medi[[is]]\atis/ contrariis sunt nomina imposita ad designandum media, in quibusdam non sunt nomina imposita sed sumuntur media per abnegationem extremorum. Et hoc est: In aliquibus autem nomina posita sunt i.e. imposita his quae media sunt i.e. mediis ut albi <et> nigri fuscum et pallidum, ista enim media sunt inter album et nigrum. Ita in quibusdam sunt nomina inventa, autem i.e. sed in aliquibus non est idoneum assignare nomina eorum quae <in> medio²²⁰ sunt i.e. mediorum sed determina[n]tur i.e. determinate /20rA/ sumitur medium per negationem utriusque²²¹ sum-morum i.e. extremorum, ut inter bonum et malum hoc modo sumitur medium \susceptibile boni et mali/ quod neque bonum est neque malum, inter iustum et iniustum quod neque iustum est nec iniustum i.e. indifferens.

<12a26> Privatio. hoc loco agit Auctor de oppositis ut privatio et habitus. Opposita ut privatio et habitus sunt quae habent esse circa idem, tempore determinato, ordine, et irreversibiliter; ut caecitas e visio habent esse circa idem, sc. specie, i.e. cuiuscumque speciei res solet participare visione eiusdem speciei res participat caecitate.

Vel aliter: Opposita ut habitus et privatio dicantur esse tantum praedicabilia ut 'caecum' 'videns', et habent esse circa idem, non tantum specie sed etiam numero.

Tempore determinato, quia tempus determinatum est circa quod aliquid debet iudicari videns vel caecum, ut catulus²²² citra nonum diem non debet iudicari videns vel caecus,²²³ post \nonum/ si videat videns, si non videat dicetur caecus.

Ordine, quia hic est ordo naturalis ut praecedat habitus et sequatur privatio si fuerint infutura eidem.

Irreversibiliter, quia saepe ab habitu ad privationem fit progressio, numquam autem a privatione ad habitum nisi per miraculum.

²²⁰ medio] me. O.

²²¹ utriusque] ut(ri). O.

²²² catulus] catalus O.

²²³ caecus] caecum O.

Habitus est qualitas adveniens subiecto difficile mobilis. Habitus est proprietas habendi aliquid pertinens ad munimentum vel ornamentum corporis. Habitus etiam est qualitas quae opponitur privationi.

Privatio est actio privationis, et est privatio passio rei privatae, et est privatio qualitas quae provenit ex illa passione.

Visio est natura vel potentia videndi, et illa inest animae; secundum hoc ei non est contraria caecitas. Visio etiam estabilitas sive aptitudo videndi; secundum hoc visio inest dormienti. Visio etiam est actus videndi; secundum hoc non inest mihi visio nisi sim in actu videndi. Et similiter de aliis nominibus pertinentibus ad sensum corporis, ut de auditu,

Cetera circa habitum \et privationem/ in disputatione²²⁴ solent discuti.

Continuatio: non tantum contraria insunt eidem, <12a26> vero i.e. sed privatio et habitus dicitur circa idem, ut visio et caecitas circa oculum, non quia oculo insit visio vel caecitas, sed quia mediante oculo iudicamur caec[[e]]vi/ vel videntes, et non tantum particulariter hoc est intelligendum, autem \i.e. sed/ universaliter i.e. generaliter est dicere i.e. potest dici circa hoc in quo nascitur habitus i.e. in quo naturaliter est habitus fieri utrumque eorum ordine i.e. secundum ordinem, quia prius de[be]bet inesse habitus et postea privatio.

<12a29> Privari etc. Hoc loco ostendit Auctor quando aliquid debeat denominari a privatione, tunc sc. quando nec actu nec habitu habet habitum. Et hoc est: Privari autem tunc dicimus i.e. tunc denominamus aliquid a privatione unumquodque habitus susceptibilium, quando nullo modo habet i.e. nec actu nec habitu id in quo natum est habere i.e. quod naturaliter debet habere. Et hoc probat Auctor: enim i.e. quia nos dicimus illum edentulum i.e. aliquem edentulum non qui non habet dentes i.e. non simpliciter a carentia dentium, nec caecum qui non habet visum i.e. non dicitur caecus simpliciter a carentia visus, sed qui i.e. quia non habet visum quando contingit habere i.e. quando debet habere. Et probat quod non simpliciter a carentia dentium dicuntur aliqui edentuli, nec simpliciter a carentia visus caeci: quaedam enim generationes sunt i.e. quaedam creaturae, ut ostrea et huiusmodi,²²⁵ quae neque dentes neque visum habent, sed non ideo dicuntur edentuli neque caeci, ut animalia acephala, quae capita

²²⁴ disputatione] vel dispositione O, *compendio ambiguo*.

²²⁵ Cf. Boethius, *Cat.* 224B: multa enim sunt animalia quae capite carent, ut ostrea, et conchylia, et caetera huiusmodi.

non habent /20rB/ (et componitur ab 'a', quod est "sine", et 'cephalos', quod est caput).

<12a35> Privari vero etc. Dictum est quae sint privatio et habitus, quae opposita ut privatio et habitus. Ex hoc putaret aliquis quod tantum illa quae sunt privatio et habitus essent opposita ut privatio et habitus. Hoc removet Auctor dicens quod quaedam sunt opposita ut privatio et habitus quae non sunt privatio \et/ habitus, ut sumpta a privatione et habitu, ut 'caecum' 'videns'. Ista²²⁶ enim non sunt privatio et habitus, sed potius privatum et habens. Tamen opponuntur ut privatio et habitus, quia eis convenit descriptio oppositorum ut privatio et habitus, habent enim esse circa idem tempore determinato etc.

Sed obicitur de morte et vita. Mors et vita habent esse circa idem; tempore determinato, quia determinatum est tempus quam diu aliquis debeat iudicari vivens; ordine, quia praecedat vita et sequitur mors; irreversibiliter, quia numquam a morte ad vitam fit regressio nisi per miraculum.

Ad hoc dicimus quod 'mors' dupliciter dicitur.²²⁷ Mors unde 'moriens'; secundum hoc mors inest alicui in extremo articulo vitae suae, secundum quod quicquid moritur vivit. Secundum hoc mors et vita sunt in eodem; sed numquam privatio et habitus sunt in eodem; secundum hoc ergo mors et vita non sunt opposita ut privatio et habitus. Dicitur etiam mors unde 'mortuum'; secundum hoc mors inest cadaveri et vita tantum animali; sed numquam animal erit cadaver nec umquam cadaver fuit animal, nec etiam cadaver et animal sunt res eiusdem <speciei> specialissimae;²²⁸ secundum hoc non habent inesse eidem. Quare mors et vita non sunt opposita ut privatio et habitus.

Item, iuvenilis aetas et virilis aetas habent esse circa idem, tempore determinato, ordine et irreversibiliter; ergo sunt opposita ut privatio et habitus. Quod si est, alterum erit habitus, alterum privatio; sed cum habeat habitus praecedere et sequi privatio, iuvenilis aetas habitus, et virilis erit

²²⁶ ista] istae O.

²²⁷ Cf. Anon., *Comm. Cat.*, cod. Paris. BN lat. 17813: 50rA: Solet quaeri de morte et vita utrum sint privatio et habitus. Sed quando fit talis quaestio, debemus interrogare ipsum quaerentem an quaerat de illa morte unde dicitur 'moriens' an de illa unde dicitur 'mortuum' et quae sequuntur.

²²⁸ specialissimae] spatium vacuum duarum fere litterarum capax add. O.

privatio. Eadem ratione virilis aetas erit habitus respectu senectutis, et senectus privatio. Ergo idem erit habitus et privatio; quod est impossibile.

Ad hoc dicimus sic esse supplendum in illa descriptione “opposita \sunt/ ut privatio et habitus quae habent esse circa idem, tempore determinato, ordine et irreversibiliter, et quodcumque inest habitus potest inesse privatio”; sed iuvenilis aetas et virilis talia non sunt, determinatum est enim tempus per quod iste debet iudicari iuvenis.

Solet etiam opponi de his “dies” “nox”. Sed dicimus quod non habent esse in eodem, cum nec sint in aliquibus et non habent esse irreversibiliter, quia et noctem dies et diem sequitur nox.

Et hoc est: <12a35> Privari vero et habitum habere i.e. sumpta a privatione et habitu non sunt habitus et privatio, sc. haec principalia. Et hoc probat: habitus enim est visus, privatio caecitas, autem i.e. sed habere visum non est visus, nec caecum esse est caecitas. Et hoc probat: enim i.e. quia privatio quaedam est caecitas i.e. caecitas est species privationis, caecum vero esse privari est, et non privatio i.e. est sumpta a privatione et non est privatio. Bene dico quod non est idem caecum esse et caecitas, nam si idem essent utraque i.e. ambo/ de eodem praedicarentur; sed caecum praedicatur de homine, ut ‘homo est caecus’, ergo caecitas de eodem; sed hoc falsum est. Et hoc est: nunc vero minime praedicantur sc. de eodem. Et hoc probat: quia homo dicitur caecus, caecitas vero nullo modo dicitur homo. Et ostendit postea quod etiam sumpta opposita sunt ut privatio et habitus. Et hoc est: <12b1> Opposita etiam et haec videntur i.e. privari et habere habitum, sc. ipsa sumpta, tamquam privatio et habitus. Et ostendit quod /20vA/ eundem modum opponendi habent quem et principalia; et hoc est: modus enim oppositionis idem est, sc. in principalibus et in sumptis. Et hoc probat: Nam sicut caecitas visui opposita est, sic i.e. simili modo oppositionis caecum esse est oppositum ad visum habere i.e. ista sumpta inter se invicem opposita sunt ut habitus et privatio.

<12b5> Non est autem etc. Egit Auctor de oppositis ut contraria, de oppositis ut relativa, de oppositis ut privatio et habitus. Hoc facto agit de oppositis ut affirmatio et negatio, docens quaedam esse opposita ut affirmatio et negatio quae non sunt affirmatio et negatio, si quidem tria sunt genera oppositorum ut affirmatio et negatio, sc. propositiones contradictoriae, significata propositionum contradictoriarum, finitum et infinitum.

Propositiones contradictoriae ut hae: ‘Socrates est homo’ ‘Socrates non est homo’. Et sciendum quod in argumentatione quae docetur²²⁹ fieri ex habitudine propositionum contradictoriarum non est locus a contradictoriis, cum nullus locus talis sit, sed locus ab oppositis ut affirmatio et negatio. Similiter in argumentatione quae fit ex habitudine propositionum contrariarum non incidit locus a contrariis, qui nullus locus est, sed locus ab oppositis ut contraria. In argumentatione quae fit ex habitudine subcontrariarum non est locus ab oppositis, cum illae non sint oppositae, quia simul possunt esse verae. Et dico quod illa argumentatio non est localis sed complexionalis, sicut et illa quae fit ex habitudine conversionis, ut ‘quidam homo est animal, ergo quoddam animal est homo’, localis non est sed complexionalis. In argumentatione quae est ex habitudine subalternarum est locus a toto in quantitate.

Significata propositionum opponuntur ut affirmatio et negatio, non tamen sunt affirmatio et negatio, ut ‘Socratem esse hominem’ ‘Socratem non esse hominem’. Et accidit in his quod non accidit in praedictis oppositis, sc. quod non ens opponitur enti ut falsum vero.

Finitum et infinitum opponuntur ut affirmatio et negatio, ut ‘homo’ ‘non homo’. Et in argumentatione quae fit per conversionem a contrapositione, ut ‘omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo’ non est dicendum quod sit locus a contrapositione, sed locus ab oppositis ut affirmatio et negatio.

Continuatio: Sumptum a caecitate non est caecitas, et sumptum a visu non est visus, <12b5> neque etiam quod sub affirmatione et negatione iacet i.e. significatum affirmationis et significatum negationis non est affirmatio et negatio. Et probat hoc Auctor syllogismo in secundo modo secundae figurae: “omnis affirmatio vel negatio est [[ne]]oratio, sed nullum significatum affirmationis vel negationis est oratio, ergo nullum significatum affirmationis vel negationis est affirmatio vel negatio”. Et hoc est: affirmatio namque oratio est affirmativa et negatio oratio negativa. Horum vero i.e. de numero horum quae sub affirmatione et negatione sunt i.e. significatum affirmationis et significatum negationis nullum est oratio. Omittit conclusionem “ergo nullum significatum affirmationis vel negationis est affirmatio vel negatio”. <12b10> Concedantur autem. Praedicta non sunt affirmatio et negatio, autem i.e. sed concedantur i.e. concedi

²²⁹ docetur] an dicitur scribendum?

potest etiam haec esse opposita utrisque i.e. unum alteri tamquam affirmatio et negatio, licet non sint affirmatio et negatio. Et probat quod ista sunt opposita ut affirmatio et negatio licet non sint affirmatio et negatio: nam idem modus oppositionis est in his qui est in affirmatione et negatione. Et probat quod idem modus: sicut enim affirmatio <ad>versus negationem opposita est, ut quod sedet i.e. haec ‘Socrates sedet’ ei quod non sedet i.e. huic ‘Socrates non sedet’ (et ponit terminos pro propositionibus), sic i.e. ita et res quae sub /20vB/ utroque posita est i.e. significatum utriusque alteri oppositum est, ut sedere i.e. hoc dictum ‘aliquem sedere’ oppositum est ad non sedere i.e. huic dicto ‘non aliquem sedere’ (et ponit partes appellationum dictorum pro totis appellationibus).

<12b16> Quoniam autem privatio etc. Egit Auctor de omnibus oppositorum generibus. Hoc facto assignat differentiam inter singula genera oppositorum. Et primo inter opposita ut relativa et opposita ut privatio et habitus. Et est talis differentia: relativa referuntur ad se per propriam vocis essentiam, ut ‘pater filii pater’ ‘filius patris filius’; sed non sic opposita ut privatio et habitus, habitus enim ad privationem non refertur [[ad privationem]] nec per propriam vocem nec per vocem superiorem, nec enim dicitur ‘visus caecitatis visus’ nec ‘visus est caecitatis habitus’. Privatio ad habitum non refertur per propriam vocem, non enim caecitas est visus caecitas, sed per vocem superiorem, ut ‘caecitas privatio visus’. Et hoc est: Quoniam autem privatio et habitus non sic opponuntur ut ad aliquid, i.e. quod opposita ut privatio et habitus non sunt opposita ut relativa manifestum est. Et bene dico quod manifesta est differentia, enim i.e. quia neque dicitur visus oppositi i.e. visus non refertur ad aliud oppositum hoc ipsum quod est i.e. per propriam vocis essentiam. Et hoc probat hic: visus enim non est caecitatis visus i.e. non ita referuntur ad se, nec alio modo visus dicitur i.e. refertur ad ipsum i.e. ad caecitatem. Similiter autem i.e. simili modo nec caecitas dicitur visus esse i.e. non refertur ad ipsum per propriam vocem sed privatio quidem visus²³⁰ caecitas dicitur i.e. per hanc vocem ‘privatio’ refertur ad ipsum; vero i.e. sed caecitas non dicitur visus, i.e. non refertur ad ipsum per propriam vocem.

<12b21> Amplius. Alia est differentia inter eadem, haec sc. quod relativa mutuo referuntur ad se, sed opposita ut privatio et habitus non. Haec differentia in hoc differt a superiori quod illa attenditur ex eo quod relativa per propriam vocis essentiam ad se referuntur, haec quod ad se

²³⁰ visus] vi. O hic et paullo infra.

invicem mutuo referuntur, sed opposita ut privatio et habitus non. Et hoc est: Amplius i.e. alia est differentia: omnia ad aliquid i.e. omnia relativa reciprocè dicuntur i.e. mutuo ad se referuntur. Quare si caecitas esset horum i.e. de numero oppositorum ut relativa itaque²³¹ converteretur i.e. mutuo ad sui oppositum referretur. Sed hoc non est, dicitur enim ad aliquod²³² ad quod dicitur i.e. caecitas refertur ad suum oppositum per vocem superiorem, sed non convertitur i.e. habitus non refertur ad caecitatem per illam vocem. Et hoc probat: neque enim dicitur visus [privatio] caecitatis.

<12b26> Quoniam autem etc. Hoc loco assignat Auctor differentiam inter opposita ut privatio et habitus et opposita ut contraria. Sed cum duo sint genera contrariorum, assignat differentiam inter utrumque illorum et ista. Contrariorum quaedam sunt mediata, quae<dam> immediata. Quae sint mediata, quae immediata praediximus. Differentia oppositorum ut privatio et habitus ad contraria immediata haec: contraria immediata sunt quorum alterum necesse est semper inesse suo susceptibili, sed oppositorum ut privatio et habitus non est necesse alterum inesse suo susceptibili, ut ante tempus determinatum. Item contrariorum mediatorum duo sunt genera; vel enim talia sunt quod eorum nullum necessarium est inesse suo susceptibili, vel talia quod alterum eorum determinate inest su\o/ susceptibili et impossibile est eius contrarium inesse, ut albedo nivis. Sed oppositorum ut privatio et habitus necesse est alterum inesse suo susceptibili post tempus determinatum, et quandocumque inest habitus potest inesse privatio. /21rA/

Et hoc est: Manifestum est ex his, quae sc. in sequentibus dicuntur, quoniam ea i.e. quod ea quae secundum privationem et habitum dicuntur, i.e. ea quae ut privatio et habitus opponuntur neque i.e. non opponuntur ut contraria. Et ostendit ex quo manifestum sit: enim i.e. quia contrariorum quorum nihil est medium i.e. immediatorum necesse est alterum eorum semper inesse eis sc. in quibus nata sunt <feri> i.e. circa quae naturaliter habent esse, et hoc quantum ad ipsas proprietates, aut de quibus praedicari, quantum ad ipsa praedicabilia; enim i.e. quia nihil est medium i.e. illa sunt immediata quorum alterum necesse²³³ inesse suo susceptibili, verbi gratia ut contingit in languore et sanitate et abundanti et [[im]]perfecto – ista enim immediata sunt. Ita necesse est semper alterum

²³¹ itaque] utique *Arist., ed. comp.*

²³² aliud] a(d) O; fort. illud cum *Aristotele scribendum.*

²³³ necesse] ne. O.

contrariorum immediatorum inesse suo susceptibili, <12b32> vero i.e. sed non necesse²³⁴ est semper alterum eorum inesse quorum aliquid est medium i.e. contrariorum mediatorum. Et hoc probat: Neque enim necesse est omni susceptibili inesse album vel nigrum i.e. nigredinem vel candorem neque frigidum vel calidum, quia aliquid est tepidum. Bene dico quod non est necesse alterum contrariorum mediatorum inesse, enim i.e. quia nihil prohibet aliquid esse medium i.e. affici aliqua proprietate media inter praedicta, tepiditate sc. et medio colore. Ita est in contrariis mediatis, est tamen instantia in illis ubi alterum inest determinate, ut calor igni. Et hoc est: Ita est in praedictis, autem i.e. sed ubi necesse²³⁵ est alterum inesse determinate, non contingit alterutrum i.e. non contingit utrumlibet inesse. Et hoc probat: Non enim possibile est ignem esse frigidum neque nivem nigram, et hoc ideo non contingit quia albedo naturaliter inest nivi et calor igni. Quare – ex praedictis illatio – non est necesse inesse alterum suo susceptibili, alterum sc. contrariorum mediatorum. Non est, inquam, nisi in solis illis in quibus alterum²³⁶ non inest per naturam, et in his i.e. in talibus quorum unum inest per naturam contingit unum determinate inesse et non alterutrum i.e. utrumlibet.

Ita est in contrariis mediatis quod non necessarium est alterum esse, et in immediatis quod necessarium est alterum esse, <13a3> vero i.e. sed nihil horum quae dicta sunt i.e. nullum praedictorum verum est in privatione et habitu i.e. nullum praedictorum convenit oppositis ut privatio et habitus. Et primo probat quod id quod assignatur contrariis immediatis non convenit oppositis ut privatio et habitus: enim i.e. quia non est necessarium semper alterum inesse suo susceptibili. Et hoc probat: enim i.e. quia illud quod nondum habet naturam ad videndum neque caecum neque videns dicitur i.e. illi qui nondum venit ad tempus determinatum a natura neque dicitur inesse habitus neque privatio, ut catulo ante nonum diem. Et per hoc patet differentia inter opposita ut contraria immediata et opposita ut privatio et habitus. Ideoque non erunt talium quorum nihil est medium i.e. non sunt contraria immediata, sed neque etiam illa quorum est medium i.e. non sunt contraria mediata.

Et ostendit differentiam inter contraria mediata et opposita ut privatio et habitus, quae talis est quod oppositorum ut privatio et habitus semper post tempus determinatum necessarium est alterum inesse suo susceptibili,

²³⁴ necesse] ne. O; item sequenti vice.

²³⁵ necesse] ne. O, item sequenti vice.

²³⁶ alterum] al. O.

sed non necessarium est alterum contrariorum mediatorum semper inesse suo susceptibili nisi alterum insit determinate. Et hoc est: <13a8> necessarium enim omni susceptibili [alterum] inesse alterum eorum i.e. oppositorum ut privatio et habitus, quando enim iam natum fuerit i.e. cum venerit ad tempus determinatum a natura ad habendum visum, [aut caecum] tunc dicitur aut habens visum aut caecum i.e. ex illo tempore necessarium est alterum inesse suo susceptibili; et horum i.e. oppositorum ut privatio et habitus non determinate alterum sed alterutrum contingit inesse sc. sed ita non est in contrariis mediatis; in contrariis autem in quibus est medium i.e. in contrariis mediatis numquam est necessarium²³⁷ alterum esse in susceptibili. Non est, inquam, generaliter necessarium, sed in quibusdam, et his determinate unum /21rB/ i.e. in quibusdam hoc contingit quod necesse est alterum contrariorum inesse, cum sc. unum illorum inest per naturam. <13a15> Unde – ex praedictis illatio – palam est i.e. manifestum quod ea quae opponuntur secundum privationem et habitum i.e. quod opposita ut privatio et habitus non sunt opposita ut contraria secundum neutrum modum i.e. nec ut contraria mediata nec ut contraria immediata.

<13a18> Amplius. Uno modo assignavit Auctor differentiam inter opposita ut contraria et opposita ut privatio et habitus. Hic aliam assignat inter eadem, quae talis est: quicquid est susceptibile unius contrariorum susceptibile est alterius, nisi unum naturaliter insit. Quicquid enim est album potest esse nigrum nisi naturaliter sit album, ut nix, et quicquid est nigrum potest esse album nisi naturaliter sit nigrum, ut aethiops. Sed in oppositis ut privatio et habitus ab habitu ad privationem fit progressio, numquam a privatione ad habitum.

Huic regulae videtur posse induci instantia possibilis secundum nos, qui dicimus quod omnis demptio partis et omnis additio et omnis partium transpositio variat essentiam totius. Sed id quod est aegrum non potest desinere esse aegrum quin vel aliqua pars ei subtrahatur vel addatur vel aliquae transponantur; ergo non potest desinere esse aegrum quin desinat esse, et ita non potest esse sanum.

Ad hoc dicimus quod quicquid est sanum est naturaliter sanum, et quicquid est aegrum <est> naturaliter aegrum, tamen idem homo qui est sanus potest esse aeger.

²³⁷ necesse] ne. O.

Item constat quod cygnus in principio nativitatis suae varius est, cygnus tunc est susceptibilis albedinis, et non ei naturaliter inest albedo, ergo est susceptibilis nigredinis, et ita cygnus potest esse niger.

Ideo dicimus sic regulam esse dandam: “Quicquid participat uno contrariorum et non naturaliter, potest participare altero.”

Et hoc est: <13a18> Amplius, i.e. alia est differentia inter praedicta in contrariis quod existente susceptibili possibile est fieri permutatio in alterutrum i.e. ab uno in alterum nisi unum insit naturaliter i.e. nisi unum contrariorum insit per naturam, ut igni esse calidum quia igni naturaliter calor inest. Bene dico quod in contrariis potest fieri mutua permutatio, namque quod sanum est potest fieri aegrum et calidum frigidum et aliquid ex studioso i.e. de bono pravum, et possibile est aliquid fieri ex pravo studiosum i.e. ex malo bonum. Et hoc probat: <13a23> enim i.e. quia pravus i.e. malus deductus ad meliores exercitationes et ad meliores doctrinas i.e. in melioribus exercitatus vel i.e. saltem proficiet ad aliquid modicum i.e. paululum ut melior sit i.e. ut melior erit. Si vero semper i.e. continue sumpserit vel hoc est etiam modicum crementum, palam est i.e. manifestum quia aut mutabitur perfecte a malitia in bonitatem aut satis sumet multum crementum i.e. satis meliorabitur. Si enim i.e. ita paulatim suscipiendo incrementum fiet aliquis bene mobilior ad virtutem i.e. mobilis ad virtutem, vel hoc est etiam quodcumque crementum sumpserit a principio i.e. quantumcumque crementum primo sumat et ex hoc i.e. ex eo quod a primis aliquantulum incrementum sumit verisimile est etiam eum sumere amplius crementum i.e. maius crementum; et hoc dum semper fit i.e. si continue fiat, restituatur perfecte in contrarium habitum sc. in virtutem nisi forte tempore fuerit suspensum i.e. nisi forte tollatur de medio.

Ita est in contrariis quod potest fieri permutatio in alterutrum, <13a31> Verum i.e. sed in privatione et habitu i.e. in oppositis ut privatio et habitus impossibile est mutationem fieri in alterutrum, quia insunt or/21vA/dine irregressibiliter. Et hoc ostendit: Ab habitu fit permutatio, a privatione vero in habitum impossibile est fieri sc. mutationem. Et hoc probat: enim i.e. quia factus caecus aliquis non videt rursus i.e. non contingit ipsum iterum esse videntem secundum cursum naturae, neque cum esset calvus, rursus factus est comatus i.e. post calvitionem naturalem non contingit esse capillationem; nec cum aliquis sit sine dentibus ei orti sunt dentes i.e. aliquis edentulus non iterum fiet dentatus. Et est om-

nis et solus ille edentulus qui nec actu nec habitu habet dentes, unde non concedimus quod iste puer sit edentulus.

<13a37> Quaecumque vero etc. Assignavit Auctor differentiam inter opposita ut contraria, opposita ut relativa et opposita ut privatio et habitus. Hoc facto assignat differentiam oppositorum ut affirmatio et negatio et omnia alia opposita. Oppositorum ut affirmatio et negatio necessarium est semper unum esse verum et alterum esse falsum, sed nullorum aliorum \semper/ necessarium est alterum esse verum et alterum esse falsum. Haec ergo est differentia oppositorum ut affirmatio et negatio ad omnia alia.

Instantias contra hoc suo loco dicemus.²³⁸

Et hoc est: Quaecumque vero tamquam affirmatio et negatio opposita sunt, palam est i.e. manifestum quod non sunt opposita aliquo praedictorum modorum sc. vel ut relativa vel ut privatio et habitus vel ut contraria. Et ostendit causam: In solis enim istis oppositis ut affirmatio et negatio necessarium est aliud semper esse verum et aliud falsum, sed non ita est in aliis speciebus oppositionis, neque enim in contrariis i.e. in oppositis ut contraria necessarium est alterum esse verum et alterum esse falsum, neque in his quae ad aliquid sunt i.e. neque in oppositis ut relativa neque in habitu et privatione i.e. neque in oppositis ut privatio et habitus. Et exemplificat de singulis quod neque verum neque falsum significant. Omnia enim praedicta opposita incomplexa sunt, sed nullus terminus incomplexus verum vel falsum significat, supple enuntiando; ergo nullum praedictorum verum vel falsum significat. Et hoc est: <13b5> ut sanitas et languor contraria sunt i.e. opposita ut contraria, et neutrum neque verum neque falsum est – superfluit una negatio more graeco. Similiter autem et duplum et dimidium i.e. duplum et subduplum tamquam relativa opposita sunt, et non est eorum aliquod neque verum neque falsum – similiter una negatio superfluit. Praedicta non significant verum vel falsum, sed neque ea quae secundum privationem et habitum sunt i.e. neque illa quae opponuntur ut privatio et habitus. Et hoc probat: Bene dico quod praedicta non significant verum vel falsum, <13b10> Omnino autem eorum i.e. de numero eorum quae dicuntur secundum nullam complexiorem i.e. terminorum incomplexorum nihil i.e. nullum significat verum vel falsum. Porro omnia quae dicta sunt ut habitus et privatio, ‘duplum’

²³⁸ Cf. *infra*, ad 13b12.

‘dimidium’, ‘album’ ‘nigrum,’ quae sunt contraria, dicuntur sine complexione i.e. sunt termini incomplexi.

<13b12> Sed maxime etc. Movet Auctor quaestionem quae contra eum posset fieri, et eam solvit. Quaestio talis est: Contrariorum quaedam sunt complexa, quaedam incomplexa. Verum \est/ quod incomplexorum nullum est verum vel falsum, sed videtur complexorum necessarium esse unum esse verum et alterum falsum, ut Socratem esse sanum, Socratem esse aegrum.

Boethius in commento super hunc locum²³⁹ tertiam ponit speciem oppositorum complexorum, et sic triplicem habemus oppositorum complexorum distinctionem: Opposita complexa ut affirmatio negatio, quorum necessarium est semper alterum esse verum et alterum esse falsum sive res subiecti sit sive non, ut ‘Socratem esse sanum’ ‘Socratem non esse sanum’. Opposita ut contraria complexa sunt ut ‘Socratem esse sanum’ ‘Socratem esse aegrum’; sed non est <necessarium> semper alterum esse verum et alterum esse falsum nisi tunc tantum quando res subiecti termini est; Socrate enim non existente utraque erit falsa. Complexa opposita ut privatio et habitus sunt ‘Socratem esse videntem’ ‘Socratem esse caecum’; sed nec semper necessarium est alterum esse verum et alterum esse falsum nec etiam quodcumque res /21vB/ subiecti est, sed tunc quando subiecti res e<s>t post tempus determinatum. Patet ergo differentia oppositorum ut affirmatio et negatio ad praedicta, quia semper [est] necessarium est alterum esse verum et alterum falsum oppositorum ut affirmatio et negatio.

Sed contra hoc primo sic obicitur: “Hanc animam esse iustam” “hanc animam esse iniustam” sunt opposita ut contraria, et tamen semper erit necessarium alterum eorum esse verum et alterum esse falsum.

Ad hoc dicimus quod hoc contingit ex natura subiecti et non ex natura oppositionis, sc. quia haec anima semper erit. Sed oppositorum ut affirmatio et negatio semper necessarium erit alterum esse verum et alterum esse falsum sive res subiecti sit sive non. Item, nota quod non omnium oppositorum alterum est verum et alterum falsum, quia finitum et infinitum opponuntur ut affirmatio et negatio, nullum tamen eorum est verum vel falsum; sed talium oppositorum quae sunt affirmatio et negatio. Multa

²³⁹ Boethius, *Cat.* 279A-280A

enim sunt opposita ut affirmatio et negatio quae tamen non sunt affirmatio et negatio, ut enuntiabilia; similiter finitum et infinitum.

Et hoc est: Dixi quod contraria non significant verum vel falsum <13b12> Sed hoc maxime videtur²⁴⁰ contingere in illis i.e. quod significant verum vel falsum videtur contingere in illis contrariis quae dicuntur contraria secundum complexionem. Et ostendit quomodo contraria sumuntur per complexionem: namque Socratem esse sanum ac i.e. et Socratem languere i.e. Socratem esse aegrum contraria sunt, sed neque est necessarium in his i.e. in oppositis ut contraria semper alterum esse verum aut falsum. Et hoc probat: <13b16> Cum enim sit Socrates, erit quidem aliud verum et aliud falsum, i.e. tantum Socrate existente unum erit verum, alterum falsum; cum vero non sit, ambo i.e. utrumque sunt falsa i.e. est falsum. Et hoc probat: enim i.e. quia neque Socratem esse sanum neque Socratem languentem esse²⁴¹ erit verum, cum ipse omnino non sit i.e. Socrate mortuo. <13b20> In privatione et habitu, cum non sit, susceptibile sc., neutrum verum est, cum sit non erit alterum verum nec susceptibili existente nec non existente necessarium est alterum esse verum, quia nec existente nisi post tempus determinatum. Et hoc probat: habere namque Socratem visum i.e. haec oratio 'Socratem habere visum' ad id quod est Socratem esse caecum i.e. ad hanc orationem 'Socratem esse caecum' oppositum est ut privatio et habitus, et cum Socrates non sit non est necessarium alterum esse verum, quia tunc utrumque erit falsum; nec etiam cum sit necessarium est semper alterum esse verum, cum enim nondum natus est habere i.e. cum nondum pervenit ad tempus determinatum a natura, utraque falsa sunt, et visum eum habere et caecum esse i.e. non potest vere dici quod sit caecus vel videns antequam pervenerit ad tempus determinatum. Ita est in praedictis, <13b27> vero i.e. sed in affirmatione et negatione semper, sive sit sive non sit i.e. sive existat subiectum sive non aliud quidem erit verum, aliud falsum. Et exemplificat de talibus: namque languere Socratem et non languere Socratem, cum ipse sit i.e. Socrate existente, palam est i.e. manifestum est unum esse verum et alterum falsum; et cum non sit similiter unum esse verum et alterum falsum, enim i.e. quia Socratem languere cum non sit falsum est, non languere verum. Quare – conclusio ex praedictis – in his solis i.e. in oppositis ut affirmatio et negatio proprium erit i.e. eis solis proprie conveniet

²⁴⁰ videtur] v(ou)ur O..

²⁴¹ languentem esse] la. esse O; languere *Arist. trl. comp.*

semper eorum alterum esse verum et alterum esse falsum, quaecumque sunt opposita tamquam affirmatio et negatio.

<11.13b36> Contrarium autem etc. Ostendit Auctor differentiam inter singula genera oppositorum. Hoc loco assignat quasdam proprietates ad habendam maiorem notitiam de contrariis. Et ponit hic duas tales regulas: “Semper bonum malo contrarium est” “Malum bono contrarium est et quandoque malum malo”, ut in illis quae per superabundantiam dicuntur. Virtus enim est medium vitiorum utrimque redactum [[ut]] \quia/ omnis virtus duo habet vitia extrema, /22rA/ ut largitas media est inter avaritiam et prodigalitatem, fortitudo media est inter timiditatem et temeritatem; et prodigalitas avaritiae et temeritas timiditati contraria est. Et sic malum malo contrarium est.

Quod tamen improbat:

Avaritia contraria est largitati et prodigalitas contraria largitati; et ita duo sunt contraria eidem; ergo tria sunt contraria. Quod superius falsum esse diximus cum dixerimus oppositionem esse habitudinem quae tantum inter duo potest repperiri et nulli eidem posse convenire eodem respectu.

Item, sit aliquis qui det bona sua leccatoribus et non det aliquid patri suo indigenti. Iste est prodigus ex eo quod dat non danda; iste est avarus quia non dat danda; et ita iste est avarus et est prodigus, et sic contraria praedicantur de eodem.

Similiter, aliquis talis est quod ex nimia fatuitate aggredere turbam maximam et ex nimia timiditate non auderet unum solum hominem aggredi; ex eo quod aggredere non aggredienda temerarius est, ex eo quod non aggredere aggredienda timidus est; et ita timidus et temerarius est iste, et sic contraria praedicantur de eodem.

Nos dicimus quod numquam malum malo, numquam bonum bono contrarium est, numquam motus motui contrarius est, sed motus quieti et bonum malo. Quod ergo hic dicit Auctor non secundum se sed secundum alios. Vel: “malum malo contrarium est” i.e. valde sunt repugnantia.

Sed obicitur: si haec albedo isti nigredini contraria est, quaelibet albedo cuilibet nigredini contraria est; sed aliquid est quod in eo quod albius est bonum est, et aliud in eo quod nigrius est bonum est; quaelibet albedo cuilibet nigredini contraria est; ergo haec bona albedo illi bonae nigredini contraria est, et ita bonum bono contrarium est.

Similiter, aliquid est quod quanto calidius est, tanto melius est. Sit hoc vinum. Et aliquid est quod quanto frigidius est, tanto melius, ut aqua.

[[Hoc bonum vinum tali bonae aquae contrarium est]] \Calor frigiditati contrarius est,/ et sic bonum bono contrarium est.

Ad hoc dicimus quod bonum bono contrarium non est, i.e. nihil quod sit de genere bonorum contrarium est alicui bono de genere bonorum. De genere bonorum est illud quod est de genere talium quorum singula bona sunt; sed calor. licet sit bonum quantum in se, non tamen est de genere bonorum, quia calor nec bonum nec malum est sed indifferens. Vel dicatur hoc esse intelligendum de praedicabilibus quod numquam bonum bono contrarium est, i.e. nulla sumpta a bonitatibus contraria sunt.

Et hoc est: <13b36> Contrarium est autem bono malum ex necessitate i.e. necessario cuilibet bono aliquod malum est contrarium, hoc autem i.e. quod ita sit manifestum est per singulorum inductionem i.e. per exemplorum suppositionem, ut sanitati languor contraria est – sanitas bonum est, languor malum – et iustitiae iniustitia, et fortitudini debilitas. Simile autem et in aliis contingit sicut \et/ in istis. Malo autem aliquando bonum est contrarium, ut iustitiae iniustitia, aliquando malum. Et ostendit quomodo: enim i.e. quia egestati cum sit malum superabundantia contraria est, cum etiam ipsum sit malum; et ita malum malo contrarium. Sed in paucis hoc tale quilibet²⁴² inspiciet, i.e. in paucis contingit quod vitium vitio sit contrarium vel malum malo. In pluribus autem semper malum bono contrarium est.

<14a6> Amplius. Assignat hic Auctor aliam naturam contrariorum, per quam ostendit ea differre a relativis. Relativa sunt quae mutuo se ponunt et mutuo se perimunt, ut si pater est filius est, et econverso; et si pater non est filius non est, vel econverso. Contraria incomplexa nec mutuo se ponunt nec mutuo se perimunt, aliquid enim potest esse sanum etsi nihil sit aegrum et econverso. Contraria complexa talia sunt, ut /22rB/ ait Auctor, quod si unum est, reliquum non est, et econverso, i.e. si unum est verum, reliquum est falsum, ut si verum est Socratem esse sanum, falsum est Socratem languere. Et per hoc innuit Auctor falsa non esse et vera esse.

Et hoc est: Amplius contrariorum non est necessarium si unum sit et reliquum esse, enim i.e. quia omnibus sanis – ablativus absolutus, i.e. cum omnia sint san[[i]]a/, sanitas quidem erit, languor vero non tunc erit.

²⁴² quilibet Arist., ed. composita] quid O, ut videtur.

Similiter autem et cum omnes sint albi, albedo erit, nigredo vero non erit. Amplius i.e. alia est proprietas contrariorum: si i.e. cum Socratem esse sanum ad id quod est Socratem languere contrarium est, cum non sit possibile utraque inesse alicui, non erit possibile cum unum contrariorum sit reliquum esse, i.e. cum unum est verum, reliquum est falsum. Cum enim sit Socratem sanum esse, i.e. cum hoc sit verum, non erit Socratem languere, i.e. non erit verum.

<14a15> Palam autem. Assignat hic Auctor quandam convenientiam contrariorum ad opposita ut privatio et habitus. Opposita ut privatio et habitus circa idem genere²⁴³ habent esse; similiter contraria sunt circa idem genere.

Et nota quod tribus modis dicitur aliquid idem alii: numero, specie, genere. Numero, ut Socrates est idem sibi. Specie, ut herba quae est in horto meo est eadem illi quae est in horto tuo. Genere, ut contentum aliquius generis alii contento eiusdem. Nihil tamen proprie dicitur esse idem alii nisi quod numero est idem illi.

Et hoc est: Palam est i.e. manifestum quia i.e. quod contrarietates i.e. contraria habent fieri natura i.e. per naturam circa idem aut specie aut genere aut numero. Et de hoc exemplificat: enim i.e. quia languor et sanitas habent fieri circa corpus animalis natura i.e. naturaliter, albedo autem et nigredo simpliciter in corpore, et gratia corporis in homine, iustitia autem et iniustitia in anima, et gratia animae in homine.

<14a19> Necessarium est autem. Quartam assignat hic Auctor contrariorum proprietatem. Quae talis est: omnia contraria aut continentur sub eodem genere, vel sub contrariis generibus, vel sunt contraria genera.

Sed videtur inconueniens esse haec divisio, contraria enim sunt quae sub eodem genere posita etc., et ita \omnia/ contraria continentur sub eodem genere, ergo superfluit illa divisio.

Item, virtus et vitium sunt genera contraria; et virtutis sunt species sicut fortitudo, temperantia et huiusmodi; vitii species sunt prodigalitas, temeritas et huiusmodi; et virtus et vitium continentur sub contrariis generibus, sc. sub his 'bonitas' 'malitia'. Et ita eadem sunt contraria genera et contenta sub generibus contrariis, et sic non differunt a se <membra> illius divisionis.

²⁴³ genere] generis O a.c..

Ad hoc, ut omnis removeatur ambituitas, sic supplendum est: omnia contraria appellandia formas aut sunt species specialissimae contentae sub eodem proximo genere, aut sub contrariis generibus, aut sunt genera contraria. “Appellandia formas” dico quia hoc falsum esset de formis et sumptis. “Continentur sub eodem proximo genere”, ut ‘albedo’ ‘nigredo’ sub hoc genere ‘color’. “Vel sub contrariis generibus”, ut ‘iustitia’ ‘iniustitia’ sub virtute et vitio. “Vel sunt genera contraria”, ut ‘bonitas’ ‘malitia’.

Si obiciatur de eo quod ‘sanitas’ species est, ‘aegritudo’ genus, dico quod utrumque genus est.

Et hoc est: <14a19> Necessarium est autem omnia contraria vel in eodem genere esse i.e. contineri sub eodem proximo genere; album enim et nigrum in eodem genere sunt i.e. continentur sub eodem genere. Et hoc probat: color enim genus est; iustitia vero et iniustitia in contrariis generibus i.e. continentur sub contrariis generibus, enim i.e. quia nequitia est genus huius i.e. iniustitiae, illius autem virtus genus est i.e. iustitiae; vero i.e. sed bonum et malum non sunt in genere i.e. non continentur sub aliquo proximo genere, sed ipsa sunt existentia genera, quia ipsa sunt contraria genera.

<12.14a26> <P>RIUS AUTEM etc. Secundum capitulorum de quibus dicturus erat Auctor in Postpraedicamentis hic aggreditur, sc. de distinctione multiplicatis huius dictionis ‘prius’. Necessaria enim /22vA/ erat haec distinctio cum dictum sit superius quod genus prius est specie et actio prior passione.

Sunt autem quinque modi secundum quos aliquid dicitur prius alio. Est enim prioritas natura, prioritas tempore, prioritas ordine, dignitate et causa.

Prius aliquid est alio natura quando sequitur ad illud non conversim, ut genus ad speciem.

Prius est aliquid alio²⁴⁴ [[natura]] tempore quae, cum in eodem tempore sint, unum prius incepit esse alio.

Prius est aliquid alio ordine tripliciter: est enim ordo naturalis, ordo artificialis et ordo casualis.

Ordo naturalis est ut in observatione ordinationis partium orationis, ut littera naturaliter prior est syllaba, syllaba dictione, dictio oratione; omne

244 alio] illo O.

enim constituens naturaliter prius est suo constituto. Ordo artificialis est ut in observandis partibus rhetoricae. Artificiose enim praecedit prooemium, sequitur narratio, et sic deinceps. Ordo casualis est ut in illis quae casualiter disponuntur.

Et est ordo vel ipsa ordinata vel proprietas quae inest ordinatis. In ordine naturali et artificiali unicum est primum, unicum est extremum. In ordine casuali uterque est primus, uterque postremus et uterque extremus.

Secundum dignitatem prior est rex comite, comes mile.

Secundum causam est aliquid prius aliquo quod sequitur ad illud conversim, sed est causa illius, ut actio et passio: actio enim causa est passionis. Sed iste modus sub priori comprehenditur.

Et nota quod iste iuvenis prior est et posterior hoc sene: prior dignitate (ita posito), posterior autem tempore.

Et hoc est: <14a26> Autem – inceptive legatur – alterum dicitur prius altero i.e. unum dicitur prius alio quadupliciter i.e. quattuor modorum quolibet. Primo quidem et proprie secundum tempus, secundum quod sc. dicimus alterum altero antiquius (quantum ad inanimata) vel senius (quantum ad animata, sed hoc comparativum modo in usu non est). In eo enim i.e. ex eo quod tempus alicuius amplius est i.e. diutius ipsum dicitur antiquius et senius.

<14a29> Secundo²⁴⁵ autem. Agit de secunda acceptione huius dictionis ‘prius’, et ostendit quod aliquid dicitur prius alio quod sequitur ad istud non conversim, ut hic terminus ‘animal’ prior est hoc termino ‘homo’. Et hoc est: Secundo²⁴⁶ autem illud est prius alio quod non convertitur secundum consequentiae existentiam²⁴⁷ i.e. ubi non potest fieri mutua conversio sumpta per verbum substantivum, quod notat existentiam; quia cum alio verbo convertitur, ut si homo gignitur ab homine, homo gignitur ab animali et econverso. Et de praedictis supponit exemplum: ut unum duobus prius est i.e. iste terminus ‘unus’ non conversim sequitur ad hunc terminum ‘duo’, cum sit eo prius natura.

Sed videtur quod si unum est, duo sint. Hoc modo: si unum est, verum est unum [est] esse; si verum est ‘unum esse’, hoc enuntiabile est:

245 secundo] sec() O.

246 secundo] secundum O.

247 consequentiae existentiam] conse. exi()am O : subsistendi consequentiam Arist.

si et unum est et hoc [est] enuntiabile est, duo sunt; ita si unum est, duo sunt.

Item, cum dicat Auctor “Si duo sunt, unum est”, haec vox ‘si’ vel notabit consequentiam, vel erit pro impossibili. Si notet \necessariam/ consequentiam, falsum est, quia non recipimus consequentiam inter terminos oppositos, et isti oppositi sunt ‘unus’ ‘duo’. Si autem notet impossibile, falsum est, quia sicut impossibile est duo esse quin unum sit, ita impossibile est unum [est] esse quin duo sint.

Ad hoc dicimus quod hic descendendum est ad terminos speciales, et inter tales notat Auctor consequentiam, ut “si duo sunt, unum est” intelligendum est “si duo homines sunt, unus homo est”, et non convertitur.

Et probat Auctor quod dixit: <14a31> enim i.e. quia duobus existentibus consequens est unum esse, uno autem existente non est necessarium duo esse, non enim /22vB/ sequitur ‘si unus homo est, duo homines sunt’. Idcirco non convertitur ab uno consequentia ut sit reliquum, ut ab hoc termino ‘unum’ non convertitur consequentia, ut sit reliquum, non enim si unus <homo> est, duo homines sunt; autem i.e. certe illud videtur prius et est a quo non convertitur i.e. a quo non convertitur consequentia in eo quod est esse i.e. sumpta per verbum substantivum.

<14a36> Tertio. Agit de tertia acceptione, secundum quod aliquid dicitur alio prius ordine. Et hoc est: Tertio vero aliquid dicitur prius alio secundum quendam ordinem. Et exemplificat ubi hoc eveniat, ut in disciplinis, in grammatica sc. et dialectica, et in orationibus, quantum ad rhetoricam; nam et in demonstrativis, quantum ad geometriam et alias quadruviales, est quid prius et posterius per ordinem, ut in geometria communes animi conceptiones et petitiones priores sunt quam theoremata. Et hoc probat: elementa enim priora sunt his quae describuntur i.e. maximis sive theorematibus per ordinem. Ita est in quadruvialibus, sed in grammatica priora sunt elementa syllabis – littera levis est – et in orationibus, enim i.e. quia prooemium prius est per ordinem narratione, praecedit enim exordium, sequitur narratio, postea petitio et conclusio.

<14b3> Amplius. Quartam ponit acceptionem huius dictionis ‘prius’ quod prius alio dicitur quod melius vel dignius est. Et hoc est: Amplius super ea quae dicta sunt i.e. praeter ea quae dicta sunt illud quod melius est et honorabilius videtur esse prius naturaliter. Et hoc ostendit per consuetudinem quorundam: consueverunt enim plurimi honorabiliores et

magis dilectos a se priores apud se dicere; est autem alienissimus priorum hic i.e. inusitatissimus

<14b9> Modi itaque qui praedicti sunt isti sunt i.e. istas praedictas acceptiones huius nominis ‘prius’ distinximus, et aliam addemus. Et hoc est: Videtur autem praeter eos qui praedicti sunt alter i.e. alius esse prioris modus i.e. alia esse significatio huius dictionis ‘prius’. Et ostendit quis sit ille: enim i.e. quia eorum quae convertuntur secundum essentiae consequentiam i.e. in illis ubi est mutua conversio, quod alterum i.e. aliud est quomodolibet causa alterius digne i.e. iuste prius natura dicitur. Et ostendit quae sint talia, et hoc quia i.e. quod quaedam sint talia palam est i.e. manifestum est. Et ostendit quae: <14b14> esse enim hominem i.e. talis eventus convertitur secundum essendi consequentiam ad veram de se orationem i.e. talem eventum comitatur veritas propositionis qua hoc dicitur. Et hoc probat: nam si homo est, vera est oratio i.e. propositio qua nos dicimus hoc sc. quia homo est; et ita eventus et veritas propositionis sese comitantur, et tamen unum est causa alterius, quia eventus rei causa est veritatis propositionis. \Et/ ostendit quod oratio non est causa eventus sed econverso, et hoc est: <14b18> Est autem quaedam oratio vera, sed nequaquam est causa quare sit res, verum i.e. sed res videtur quodammodo esse causa quare oratio²⁴⁸ sit vera. Et hoc probat: dum enim res est aut non est, vera oratio aut falsa dicatur²⁴⁹ necesse est, quia veritas propositionis variatur secundum eventum rei. Ideoque – conclusio ex praedictis – alterum dicitur prius altero quinque modis.

<13.14b24> <S>IMUL AUTEM etc. In capitulo tertio agit Auctor de multiplicatis distinctione huius particulae ‘simul’. Necessaria erat haec distinctio hac de causa quoniam superius dixit Auctor relativa simul esse natura, qui locus remaneret incognitus nisi scito quae sint simul naturâ. Dictum est etiam quod omnes species specialissimae contentae sub eodem generalissimo sunt simul naturâ.

Ad habendam ergo hanc notitiam videndum erat quae sint simul naturâ. Ponit Auctor duas acceptiones huius vocis ‘simul’: simul tempore et simul naturâ; et ultimam subdividit. /23rA/

Simul tempore dicuntur non omnia illa quae sunt in eodem instanti, sed illa quae, cum in eodem instanti si<n>t, simul inceperunt esse. Simul

248 oratio] res O.

249 dicatur] dicitur O.

naturâ dicuntur aliqua dupliciter. Uno modo dicuntur illa simul naturâ quae mutuo se ponunt et mutuo se perimunt, ita quod neutrum sit causa alterius, ut relativa. Alio modo dicuntur illa simul naturâ quae in aliqua divisione descendunt ab eodem generalissimo, et talia sunt contraria et substantiales differentiae et omnes species specialissimae eiusdem generalissimi.

Et nota quod haec dictio ‘prius’ plures habet significationes quam praediximus, vel haec argumentatio falsa est: ‘istae duae species ‘homo’ “asinus” sunt simul naturâ, ergo quicquid est naturaliter²⁵⁰ prius uno est prius naturaliter reliquo’, quia haec differentia ‘rationale’ prior est naturaliter hac specie ‘homo’, sed non prior hac ‘asinus’, non enim esset assignare qua specie prioritatis, cum nec sit prior ordine nec aliquo praedicto modo.²⁵¹

Item, quaeritur quare non plures assignaverit Auctor acceptiones huius dictionis ‘simul’, est enim iste modus usitatissimus: aliqua sunt simul loco. Posset etiam dici quod aliqua sunt simul secundum dignitatem. Ad hoc est solutio quod non plures erant significationes huius particulae ‘simul’ in idiomate graeco.

Continuatio: Aliquid alio quadrupliciter dicitur prius, <14b24> autem i.e. sed illa dicuntur esse simpliciter i.e. generaliter quidem et proprie i.e. magis usitate quorum generatio in eodem tempore est i.e. quae simul inceperunt esse; neutrum enim illorum neque prius neque posterius est alio – una negatio superfluit – nam haec i.e. talia dicuntur esse simul secundum idem tempus i.e. talia dicuntur esse simul tempore. <14b27> Naturaliter autem simul sunt illa quae convertuntur quidem secundum id quod est secundum subsistendi consequentiam i.e. secundum consequentiam quae sumitur per verbum substantivum, sed nullum est causa alterius. Et tamen supponit exemplum: ut in duplo et dimidio i.e. subduplo. Et probat quod ista sint simul naturâ: convertuntur enim et haec, nam cum sit duplum est dimidium i.e. subduplum, et cum sit dimidium est duplum i.e. ad subduplum esse sequitur duplum esse et convertitur; sed neutrum est causa alterius.

<14b32> Dicuntur etc. Tertiam ponit acceptionem huius dictionis ‘simul’ quod illa dicuntur esse simul naturâ quae e diverso dividunt aliquod genus. Et hoc est: Dicuntur simul naturaliter i.e. naturâ quae di-

²⁵⁰ quicquid est naturaliter] naturaliter quicquid est O a.c.

²⁵¹ aliquo praedicto modo] alio praedictorum modorum *malim*.

viduntur ex eodem genere e diverso a se invicem. Et nota quod dicuntur dividi dividencia i.e. diversificari et distinguere; et divisum dicitur dividi, i.e. appellata eius distinguuntur per dividencia. Hoc est: e diverso dividuntur quae sunt secundum eandem divisionem, ut ista gressibile, aquatile, volatile. Sed cum idem sit volatile et gressibile, non erit conveniens divisio facta per tales terminos. Ideo hic appello 'gressibile' tantum illud animal quod graditur et non volat. <14b36> Haec enim e diverso dividuntur quae sunt ex eodem genere i.e. e diverso dividunt aliquod genus. Et hoc ostendit: animal namque i.e. hoc genus 'animal' dividitur in haec i.e. per haec, et ideo nihil i.e. nullum horum prius vel posterius est, sed ista videntur esse simul natura i.e. naturaliter. Similiter autem quodlibet horum dividitur per species, et illae per quas dividuntur sunt simul naturâ, sicut gressibile, volatile, aquatile. Erunt ergo – conclusio ex praedictis – illa simul natura quaecumque e diverso secundum eandem divisionem sunt. <15a4> Genera vero i.e. divisa semper priora sunt naturaliter sc. suis dividendibus. Et hoc probat: enim i.e. quia non convertuntur secundum quod est essentiae²⁵² consequentiam. Et hoc probat: ut cum sit quod aquatile sit animal, sed non cum sit animal est aquatile, et ideo illud a quo non convertitur consequentia prius est.

Videtur esse falsum quod hic dicit Auctor. Probabiliter enim sequitur 'si quantitas est, unitas est, et e converso'. Ad hoc dicimus quod hoc intelligendum est de consequentia necessaria.

<15a8> Simul ergo. Breviter epilogat diversas acceptiones quas posuit. Et hoc est: ergo illa dicuntur esse simul naturâ quae convertuntur secundum essentiae consequentiam, ut duplum subduplum; sed nequaquam /23rB/ unum est causa alterius quod sit et i.e. etiam ea quae ex eodem genere e diverso dividuntur ut rationale irrationale, et simpliciter i.e. generaliter illa sunt simul natura quorum generatio in eodem tempore est i.e. quorum existentia est in eodem tempore.

<14.15a13> <M>OTUS AUTEM SPECIES SUNT SEX

Agit Auctor de tertio capitulorum de quibus dicturus erat in Postpraedicamentis, sc. de motu, hac commoditate quia superius distincta e-

252 essentiae] essentem O.

rant rerum genera; decuit ergo ut nihil relinqueretur de quo dubium esset sub quo rerum genere ipsum contineretur; sed de motu dubitari poterat de quo genere rerum esset, ideo hic agit Auctor de motu et eius speciebus. Cuius gratia paucis videndum est quot habeat acceptiones hoc nomen 'motus', et quam hic, et quae sint eius species, et utrum eius divisio sufficiens sit et per opposita.

Motus tripliciter accipitur. Dicitur enim motus actio moventis secundum quod significatur per hoc verbum 'moveo, -ves'. Item, motus dicitur passio rei motae, et secundum hoc copulatur per hoc verbum 'movetur' constructum cum ablativo et praepositione. Item, dicitur motus qualitas, secundum quod significatur per hoc verbum 'movetur' positum absolute, et secundum hoc omnis cursus motus est, et²⁵³ motus ille qui inest chordae postquam aliquis desiit chordam movere qualitas est, et talis qualitas surgit ex passione praecedenti, quia dum actio moventis fuit infuit chordae motus passio, sed desinente esse actione desiit esse passio, sicut laesio passio inest mihi quamdiu aliquis me lae[[sio]]dit, et illa laesio passio causa est laesionis qualitatis quae postea manet.

Hoc loco dicitur motus transitus. Et est triplex transitus: est enim transitus a substantiali statu in statum substantialem, transitus ab accidentali statu in accidentalem, transitus a loco in locum. Transitus a substantiali statu in substantialem dicitur generatio vel corruptio, transitus a substantiali est corruptio, transitus in substantialem est generatio. Transitus ab accidentali statu in accidentalem duplex est: est enim transitus a qualitate in qualitatem, et dicitur alteratio; transitus a quantitate in quantitatem, sed iste fit dupliciter, est enim transitus a maiori quantitate in minorem et dicitur deminutio, vel transitus a minori in maiorem quantitatem et dicitur augmentum. Transitus a loco in locum dicitur motus secundum locum.

Sed cum similiter fiat transitus de tempore \ad tempus/ sicut de loco ad locum, quaeritur quare transitus de tempore ad tempus non contineatur sub motu. Ad hoc dicimus quod transitus de tempore ad tempus potius surgit ex tempore quam ex substantia, non enim substantia movetur a tempore in tempus, sed tempus praesens relinquit substantiam et succedit futurum. Sed substantiae proprie inest motus de loco ad locum, et ita potius transitus ascribendus esset tempori quam substantiae. Sed nulla

²⁵³ *post et unam litteram erasit O.*

proprietas inest tempori, quare nec transitus; et ideo transitus ille non connumeratur inter species motus.

Item quaeritur, cum transitus fiat a relatione in relationem, ab actione in actionem, a passione in passionem, quare transitus ille/ non annumeretur ceteris speciebus motus. Ad hoc dici potest quod non transitus a quacumque qualitate in qualitatem motus est, sed solus ille transitus qui fit ab aliqua qualitate in contrariam; sed nulla \relatio/ relationi contraria est, nulla actio actioni, nulla passio passioni. Quod autem dicit Auctor "Recipit facere et pati contrarietatem", secundum alios hoc dicit. Vel dicatur quod transitus a quacumque qualitate in aliam, et quae non est quantitas, motus est, et erit transitus ille alteratio.

De speciebus motus suo loco dicemus.

Inter alias species motus praemittit Auctor de generatione et corruptione, nec immerito. Generatio enim et corruptio attenduntur circa substantialia, omnes alii motus circa accidentalia; /23vA/ quaelibet autem substantialia digniora sunt quibuslibet accidentalibus.

Paucis autem videndum est quot modis accipiatur hoc nomen 'generatio' vel hoc nomen 'corruptio', et quo illorum hic, et utrum idem sit generatio et corruptio.

Generatio est actio generantis, i.e. actio exercentis tale opus ex quo aliquid dicitur pater, sc. actio gigne<n>tis. Et esset generatio passio rei generatae secundum hanc regulam "Omne nomen verbale desinens in -io veniens a verbo activo significat actionem et passionem", nisi quia actio illa non est effectiva passionis; nulla enim actio transiens in non ens est effectiva passionis, ut actio laudantis, actio generantis, quia quicquid generatur non est, non enim est homo prius quam ei infundatur anima, et tunc non generatur.

Secundum antiquos generatio dicitur hoc loco transitus in statum substantialem, corruptio egressus a statu substantiali, sed a mod[[iata]]\ernis/ est refutata haec assignatio, quia dicebant secundum hoc accidere idem generari et corrumpi, hoc modo:

Iste homo desinat esse, istud egreditur substantialem statum qui designatur hoc nomine 'homo', ergo corrumpitur. Item istud ingreditur statum substantialem qui designatur hoc nomine 'cadaver', ergo generatur, et

ita idem generatur et corrumpitur, ergo eidem insunt generatio et corruptio.

Ideo aiebant moderni sic esse supplendum ‘generatio est ingressus in statum substantialem digniorem, corruptio est egressus a substantiali statu digniori’, et sic illud quod desinit esse homo egreditur statum substantialem digniorem, et ideo corrumpitur et non generatur.

Sed eis difficillimum erit assignare in quibusdam quis motus sit generatio et quis corruptio, ut in transsubstantiatione faeni cum de eo fit vitrum. Pono quod faenum non sit dignius vitro nec econverso, de faeno fit vitrum, faenum transit in statum substantialem et egreditur substantialem, utrum corrumpatur vel generetur secundum hoc non erit assignare. Similiter cum de aqua et farina fit panis. Item secundum hoc accidet quod terra, cum sit indignissimum elementorum, non possit corrumpi, cum non possit egredi a substantiali statu digniori, et ignis non potest generari quia non potest ingredi substantialem statum digniorem, cum ignis sit dignissimum elementorum.

Nos dicimus priores descriptiones esse deminutas et sequentes incongruas, et sic prioribus supplendum est “generatio est ingressus in statum substantialem circa rem factam ex praeiacenti materia, corruptio est egressus a statu substantiali circa rem quae fuit futura praeiacens materia rei futurae”. Et est differentia inter haec verba ‘creari’ ‘generari’: illud creatur quod ex nihilo fit, illud generatur quod ex praeiacenti materia fit. Anima creatur et non generatur, quicquid enim est susceptibile generationis est susceptibile corruptionis, sed anima non potest corrumpi, quare non potest generari. Solius dei est creare, hominis est generare.

Posito ergo quod homo desinat esse, dico quod corrumpitur quia egreditur statum substantialem [statum], et quicquid egreditur statum substantialem desinit esse, et sic illud quod fuit homo desinit esse, et ita non erit, quare non generatur, illud enim quod est homo numquam erit cadaver, sed illud est praeiacens eius quod erit cadaver. Non tamen nego quin idem possit generari et corrumpi, ut illud quod est momentaneum, illud enim simul incipit et desinit esse, et generatio et corruptio non sunt contraria, nullus enim motus motui contrarius, quod auctor dicet [auctor] inferius²⁵⁴ “generatio corruptioni contraria est” non acquiescimus, et quotiens aliquid generatur oportet ut aliquid in proximo instanti fuerit corruptum, ut si homo generatur, praeiacens materia in proximo praecedente in-

²⁵⁴ Arist. *Cat.*, 14.15b2

stanti corrumpebatur; et si aliquid corrumpitur in proximo sequente instanti aliquid genera^{23vB}bitur, ut cum homo in hoc instanti corrumpitur, in proximo instanti quiddam generabitur, sc. cadaver, cuius hoc est materia.

<1> Sed videtur posse probari quod aliquid idem sit generatio et corruptio, hoc modo: generatio est transitus a substantiali statu in substantialem, ergo generatio est transitus a substantiali \statu/ et ita est egressus a substantiali \statu/ et omnis egressus a substantiali \statu/ est corruptio, ergo generatio est corruptio.

<2> Item, aliquis transitus est a substantiali statu in \statum/ substantialem, et transitus a substantiali \statu/ est corruptio, transitus in substantialem \statum/ est generatio, et ita aliquid.

<3> Quod autem aliquis motus sit a substantiali statu in substantialem videtur probari a simili. Est enim aliquis \idem/ motus quo ego moveor a loco in quo sum ad locum in quo non sum, et est aliquis motus quo aliquis movetur a qualitate in qualitatem; similiter aliquis est motus quo movetur aliquid a statu substantiali in substantialem.

Ad hoc dicimus quod triplex est transitus. Est enim transitus ab aliquo et non in aliquid, est transitus in aliquid et non ab aliquo, et est transitus ab aliquo et in aliquid; sicut quidam casus dicitur qui cadit ab aliquo et non in aliquid, ut ablativus casus, quidam cadit in aliquid et non ab alio, ut nominativus, quidam et cadit ab aliquo et cadit in aliud, ut genitivus casus. Transitus in aliquid et non ab aliquo dicitur generatio, transitus ab aliquo et non in aliquid est corruptio, transitus ab aliquo et in aliud dicitur alteratio.

<Ad 1-2> Ad primum obiectum dicimus quod nullus transitus est a substantiali statu in substantialem, im<mo> alius est transitus a substantiali ut corruptio et alius in substantialem ut generatio.

<Ad 3> Quod autem inducit non est simile, nihil enim manens idem potest transire a substantiali statu in substantialem, quia quicquid generatur incipit esse, et quicquid corrumpitur desinit esse. Sed aliquid potest transire ab uno loco in alium non variata essentia. Similiter eadem substantia potest mutari ab albedine in nigredinem.

Post generationem et corruptionem agitur de augmento et diminutione. Quare videndum est quid sit augmentum, quid diminutio, cui insit augmentum, et cui diminutio.

Visum est antiquis et pluribus modernorum augmentum vel diminutionem sic debere describi: Augmentum est proprietas efficiendi maius, diminutio est proprietas efficiendi minus.

Nos illas descriptiones penitus reprobamus, secundum hoc enim si hoc constaret, nulli inesset augmentum, nulli diminutio, quia nulli inest proprietas efficiendi maius, nulli proprietas efficiendi minus. Nihil enim potest esse maius vel minus quam ipsum sit, et quod nihil possit esse maius vel minus quam ipsum sit plurimis rationibus alias probamus, tum in discretis cum in continuis quantitativis et in continuis corporibus.

Et primo sic: Si aliqua sunt populus qui constat ex decem hominibus, illa sunt decem homines et econverso. Et si aliqua sunt populus qui est ex undecim hominibus, illa sunt undecim homines et econverso. Decem homines non possunt esse undecim homines nec econverso, ergo populus constans ex decem hominibus non potest esse populus constans ex undecim hominibus, nec populus qui constet ex duodecim, et ita non potest esse maior quam sit.

Similiter binarius non potest esse ternarius, quia nec idem egrediens substantialem statum potest ingredi alium, nec bicubitio potest esse tricubitio, quoniam tunc res unius speciei specialissimae posset esse et non esse res illius sed alterius.

Patet hoc etiam in continuis corporibus, si enim huic cerae bicubitae addatur alia cera, eadem cera quae fuit bicubita adhuc est bicubita, ergo non est maior quam fuerit, sed ex illis duabus efficitur quiddam maius qualibet sui parte.

Ex his ergo patet nihil esse maius vel minus quam ipsum fuerit.

Concedimus tamen quod aliquid crescit et aliquid decrescit, crescere enim nil aliud est quam augmentari, decrescere est minui. Augmentum est proprietas excrescendi ex aliquo priori et aliquo superaddito minori. Diminutio est proprietas amittendi aliquam sui partem maiore manente residua. "Minori superaddito" dico quoniam /24rA/ si bicubito addatur bicubitum, dico quod nihil ibi crescit sed ex illis fit quoddam quod prius non fuit. Oportet ergo ad hoc quod aliquid crescat quod minus addatur maiori, et ad hoc quod aliquid decrescat quod minus subtrahatur a maiori. Unde si aliquid dividatur in duo aequalia nihil ibi decrescit. Et quicquid augmentatur incipit esse, quicquid minuitur desinit esse.

Et nota quod quicquid augmentatur generatur, et quicquid minuitur corrumpitur, tamen generatio et corruptio separantur ab augmento et deminutione quia secundum alia consideratur generatio vel corruptio quam augmentum vel deminutio. Generatio enim est ingressus in statum substantialem, augmentum est ingressus in maiorem quantitatem, corruptio est egressus a statu substantiali, deminutio est egressus a quantitate maiori, et sic nec idem est augmentum et generatio nec est idem deminutio et corruptio.

Quinto inter species motus agit Auctor de alteratione, et ideo post augmentum et divisionem quia augmentum et deminutio attenduntur secundum quantitates, quae, cum sint accidentales, sunt tamen inseparabiles; alteratio attenditur secundum qualitates, quae et sunt accidentales et sunt [[in]]separabiles; omnia autem inseparabilia digniora sunt separabilibus.

Hoc nomen 'alteratio' aequivocum est. Dicitur enim alteratio transitus a quacumque proprietate in aliam proprietatem, sc. omnis motus praeter motum localem; secundum hoc et generatio et corruptio et augmentatio et deminutio alteratio est. Strictius dicitur alteratio transitus ab accidentali qualitate in accidentalem qualitatem. Per hoc quod dicitur "ab accidentali" excluduntur generatio et corruptio, quae sunt transitus a substantiali statu in substantialem. Per hoc quod dicitur "qualitate" excluduntur augmentum et deminutio, quae sunt transitus a quantitate in quantitatem. Secundum hoc ait Porphyrius²⁵⁵ "Simpliciter omnis differentia adveniens subiecto alteratum facit", sc. et accidentalis et substantialis.

Utrum autem alteratio possit esse sine omni alia specie motus, vel omnis motus sine alteratione possit esse, haec dicentur cum Auctor de his loquetur.

Sed dubitatur quando aliquid iudicandum sit alterari. Ut posito quod Socrates fuerit futurus albus in A et niger in B, ita quod incipiat esse niger in B, quaeritur utrum alteretur in A vel in B. Dicimus quod nihil movetur nisi a loco in quo est ad locum in quo non est. Socrates ergo alteratur in ultimo instanti in quo est albus.

Si fiat argumentatio talis "Socrates in A est aliqualis, et semper ante A fuit talis; ergo Socrates non alteratur in A", – instantia sic: Socrates in B erit aliqualis, et semper post B erit talis, ergo Socrates non alterabitur in

255 Porph. *Intr.* 8.20-21; AL I.6.15: illae vero quae alteratum, simpliciter differentiae

B. Concedet enim econtra Socratem alterari in primo momento in quo est niger.

Similis est quaestio quando aliquis egrediatur domum. Dico quod in ultimo instanti existentiae suae in domo. Similiter quilibet excitur in ultimo instanti dormitionis suae, quilibet dicitur surgens in ultimo instanti sessionis suae.

Ultimo agit Auctor de motu locali, et merito, quia omnes aliae species motus attenduntur secundum proprietates inhaerentes rebus suppositis. Localis motus attenditur secundum quiddam quod nec inhaeret nec adharet rei suppositae.

Motus localis sic describitur: motus localis est transitus qui attenditur secundum locum. Huius duae sunt species, motus ab aliquo loco in alium, et motus ab aliquo loco sed non in alium: motus a loco in locum ut motus linearis, motus ab aliquo loco et non in alium ut motus orbi circularis, sc. motus firmamenti. Movetur enim firmamentum in aliquo loco et numquam illum egreditur. Motus linearis subdividitur in motum directum et motum obliquum. Motus directus est ut ille qui fit directe ab uno loco ad alium. Motus obliquus est ut ille qui fit ab una parte circuli ad aliam, ut motus solis, et hic motus dici potest circularis. Sed secundum hoc erit differentia inter orbicularem et circularem motum.

Solent et aliter assignari species motus, hoc modo: motus species sunt motus sursum, motus deorsum, motus ante et motus retro, motus dextrorsum et motus sinistrorsum. Motus sursum est ut versus firmamentum, motus deorsum ut ille qui est versus centrum terrae.

De motu autem dextrorsum, sinistrorsum, ante et retro dubitatur.

Quidam dicunt quod motus dextrorsum vel sinistrorsum attendendus est secundum dextram vel sinistram moventis. Sed hoc difficile esset assignare in illis in quibus nulla pars est dignior alia, ut in pila, cum ibi nulla sit anterior, nulla posterior, nec magis una quam alia dextra vel sinistra.

Erant alii qui dicerent quod motus talis attendendus secundum dextram vel sinistram loquentis. Sed secundum hoc accidet quod si nemo loquatur nullus motus erit dextrorsum vel sinistrorsum.

Alii dicunt, et melius, quod motus huiusmodi attendendus est secundum situm naturalem²⁵⁶ sphaerae, et motus versus orientem est motus ante, motus versus occidentem est motus retro, motus versus austrum est motus dextrorsum, et motus versus septentrionem est motus sinistrorsum. Si autem aliquis ascendat oblique ita ut progrediatur, dicimus quod motus ille vel erit motus sursum et ante, et non erit illa divisio per opposita; vel nec erit sursum nec ante sed mixtus, et non erit divisio illa sufficiens.

Et hoc est: <15a13> Autem – inceptive legatur – sex sunt species motus: generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio. Sed dubitari posset utrum alteratio esse alia ab omni specie motus, et hanc quaestionem absolvit Auctor dicens palam est i.e. manifestum quia alii i.e. alii/ae species motus sibi invicem sunt oppositae, aliae, dico, ab alteratione, quia Auctor movet quaestionem de alteratione; non ergo generatio est corruptio neque augmentum diminutio neque alteratio secundum locum mutatio. Similiter autem et alii, supple non sunt praedictae species motus. In alteratione vero habet quaestionem sc. quod alteratio non sit opposita aliis speciebus motus; “habet” impersonaliter ponitur, ne forte necessarium sit id quod alteratur per aliquam reliquarum motionum alterari i.e. ne forte alterationem comitentur alii motus et e converso; <15a20> hoc autem non est verum, nam accidit alterari i.e. alterationem fieri paene secundum omnes passiones – “paene” dicit quia difficile est dare universalem; passiones hic appellat [[ab]] albedinem, [[in]] nigredinem et huiusmodi qualitates – accidit, inquam, alterari secundum passiones nulla communicatione²⁵⁷ aliarum motuum, licet non communicet quis alio genere motus potest alterari. Et hoc probat: nam non est necessarium illud augeri quod movetur per passionem neque imminui; non est necessarium \quod/ illi cui inest alteratio insit motus augmenti neque motus diminutionis; similiter autem et in aliis sc. speciebus motus. <15a24> Ideoque – conclusio – alia erit <praeter alios i.e.> alia a praedictis²⁵⁸ i.e. opposita species aliis speciebus motus. Nam si eadem esset i.e. cum aliqua sc. aliarum oportebat²⁵⁹ id quod alteratur i.e. quod participat alteratione mox i.e. simul et augeri vel minui i.e. participare augmento vel diminutione vel aliquam aliarum consequentiam fieri motionum; sed hoc non est

²⁵⁶ naturalem] natural() O, *compendio quo potius naturalis significatur.*

²⁵⁷ communicatione] comitatione vel communicatione O; communicante Arist.

²⁵⁸ alia a praedictis] alia a prae. O.

²⁵⁹ oportebat] op(o)rt. O; *eodem modo 15a29 infra.*

necesse i.e. non est necessarium quod si una species insit alicui quod altera insit. Et hoc est: <15a28> Similiter autem et quod augetur, illud sc. cui inest augmentum, aut movetur aliqua alia motione i.e. aliqua specie alia motus ab alteratione oportebat illud alterari, si hoc esset quod alteratio comitaretur alias species motus.

Sed videtur quod generatio vel augmentum sit alteratio, hoc modo: augmentum qualitas est, et illud quod augetur transit ab accidentali qualitate in contrariam, sc. in quietem secundum augmentum; ergo augmentum est transitus a qualitate in qualitatem; ergo est alteratio.

Similiter generatio est transitus a qualitate in quietem secundum generationem, et ita quicquid generatur alteratur.

Ad hoc antiqui dicebant, et hoc satis congrue: alteratio est transitus a qualitate quae nec est motus nec quies in qualitatem quae nec est motus nec quies. Sed et generatio et augmentum motus est.

Vel dicatur quod generatio <est> alteratio, sed alia est causa generationis quam alterationis. Sed prior solutio melior est.

De corruptione et deminutione patet quod non sit alteratio, quia quicquid corrumpitur vel deminuitur desinit esse. /24vA/


Continuatio: Non ita contingit quod alteratio comitetur augmentum, <15a29> enim i.e. quia sunt quaedam crescentia quae non alterantur. Et ostendit quid: ut quadratus cum circumscripto gnomone i.e. tali figura, alteratum vero nihil factum est.


Ad huius evidentiam distinguendum est inter tria: quadratum, quadrangulum et tetragonum. Quadratum est superficies inclusa quattuor lineis rectis et aequalibus et rectos angulos facientibus. Quadrangulum est superficies inclusa quattuor lineis rectis, sive sint aequales sive non. Tetragonus est figura quaedam parte alterâ longior †forma†. Gnomus est ut si quadratum dividatur in quattuor aequalia quadrata, quolibet illorum dempto residuum erit gnomus.²⁶⁰

Dicit ergo Auctor quod gnomone addito quadrato quadratum fiet maius, i.e. ex gnomone et quadrato excrescet quadratum maius utroque

260 In mg. inf. haec habet O:

quadratus 

quadrangulus 

tetragonus 

gnomus 

componentium. Ita est in quadrato et in aliis huiusmodi figuris sc. Quare – conclusio ex praedictis – alii motus i.e. aliae species motus ab invicem sunt i.e. a se invicem differunt, et ita alteratio alia est ab aliis speciebus motus.

<15b1> Est autem etc. Enumeratis et distinctis speciebus motus assignat Auctor contrarietatem inter motus species. Et primo dicit quod huic generi ‘motus’ contrarium hoc praedicabile ‘quies’.

Sed videtur hoc esse falsum. Si enim aliquae species sunt contrariae et aliqua accidentia sumuntur ab illis, ipsa erunt contraria; sed ‘movetur’ et ‘quiescit’ sumuntur ab his contrariis speciebus ‘motus’ ‘quies’; ergo sunt contraria. Sed aliquid alteratur, ergo movetur; et idem quiescit secundum locum et ita quiescit; ergo idem movetur et quiescit. Et ita contraria praedicantur de eodem.

Ad hoc triplex est solutio. Quidam dicunt quod ‘movetur’ non sumitur ab \hoc/ universali ‘motus’ sed a specie motus, sc. a motu locali. Et instant tali argumento “Omnis alteratio est motus, sed istud alteratur, ergo movetur”. Instantia: omnis visus est sensus, sed caelum videtur, ergo sentitur. Vel sic: omnis destructio est actio, sed iste destruit domum, ergo agit domum.

Alii dicunt quod quaedam accidentia non solum sumuntur a proprietatibus quas copulant, sed etiam privant omnes contrarias proprietates, ut ‘iniustus’ dicitur non omnis ille qui participat iniustitia sed solus ille qui participat iniustitia et nulla iustitia. Similiter insensibile est omne illud et solum quod participat insensibilitate et nullo sensu. \Similiter ‘quiescit’ non simpliciter sumitur a quiete sed privat omnem motum./ Et instant huic argumento “Iste quiescit secundum locum, ergo quiescit” sic: iste est bonus aliquibus, ergo est bonus.

Nos dicimus quod motus et quies sunt contraria, sed ‘movetur’ et ‘quiescit’ non sunt contraria. Non enim omnia sumpta a speciebus contrariis sunt contraria, sed sola sumpta a speciebus specialissimis contrariis; motus autem et quies, cum sint species, non sunt species specialissimae. Et concedimus quod idem movetur et quiescit.

Et hoc est: <15b1> Est autem etc. quidem motus quieti contrarius i.e. generaliter omnis motus alicui quieti contrarius; his autem quae per singula sunt i.e. singulis speciebus motus, aliquid est contrarium supple, generationi quidem corruptio.

Sed dicimus hoc esse falsum. Est enim regula: “Si aliqua species continetur sub aliquo genere, et species alicui est contraria et genus alicui, contrarium speciei continebitur sub contrario generis”. Sed si generatio corruptioni contraria est, et generatio sub motu continetur, et motus quieti est contrarius, ergo corruptio sub quiete continebitur. Ideo dicimus quod numquam motus motui contrarius, numquam malum malo contrarium; sed generationi contraria est quies secundum generationem, corruptioni quies secundum corruptionem. Quod autem hic dicit Auctor secundum alios dicit. Vel †cu(m)us† hic nihil dicit asserendo sed disserendo. Quod patet inferius in littera, cum ibi nihil dicat assertive.

<15b2> augmento deminutio – hoc similiter exponendum est ut /24vB/ prius – secundum locum vero mutationi quies secundum locum maxime videtur esse contraria, et forte mutationi in contrarium locum mutatio. Nota quod Auctor dicit “videtur” et “forte”, et per hoc notat ambiguitatem. Et nota quod [illi] tantum inest \illi/ quies secundum hunc locum qui est in hoc loco, et quiescit in illo, et motus secundum illum locum in quo movetur aliquis. Et \non/ [[ita(?))] movetur aliquis secundum locum nisi secundum illum in quo movetur, nec quiescit nisi secundum illum in quo est et quiescit. Et concedimus quod idem movetur dextrorsum et sinistrorsum. Et hoc est: ut illa quae est <in>ferius²⁶¹ i.e. mutatio deorsum ei quae superius est contraria est, i.e. motui sursum, et ei quae superius est ea quae inferius est contraria est supple.

<15b6> Reliquo vero. Ita in praedictis speciebus motus assignata sunt contraria, vero i.e. sed reliquo assignatorum motuum i.e. alterationi non est facile assignare contrarium, et tamen ponet Auctor triplicem opinionem. Una est opinio quod alterationi nihil est contrarium. Alia est quod alterationi contraria est quies secundum alterationem, et haec vera est. Tertia est quod alterationi ab una qualitate in aliam contraria est alteratio a contraria qualitate in contrariam, ut alterationi Socratis ab albedine in nigredinem contraria est alteratio Platonis a nigredine in albedinem. Et hoc est: videtur autem neque esse aliquid ei contrarium, videtur, inquam, nisi quis i.e. nisi aliquis opponat i.e. opposita esse dicat quietem secundum qualitatem i.e. quietem ab alteratione, in hoc i.e. contra hoc, sc. contra alterationem, aut in contrarium qualitatis mutationem sicut etiam in mutatione secundum locum in contrarium locum mutatio. <15b12>

261 <in>ferius] se. O.

Quapropter alterationi contraria erit secundum qualitatem quies et huius unum contrariorum praeassignatorum aut mutatio in contrariam qualitatem, ut [[albus]] \album/ fieri i.e. ut alteratio in albedinem ad id quod est nigrum fieri i.e. alterationi in nigredinem alteratur in contraria qualitatis mutatione facta, quia aliquid alteratur quando a contraria qualitate mutatur in contrariam.

<15.15b17> <H>ABERE AUTEM etc.

Ultimo agit Auctor de distinctione \multiplicitatis/ huius verbi 'habere'. Et erat necessaria haec distinctio, cum superius dictum sit unum praedicamentorum esse hoc praedicamentum 'habere'.

Et ad sciendum in qua significatione ibi ponitur haec vox utendum erat distinctione hic.²⁶² Et est multiplex haec distinctio. Dicimur aliquid habere ut informans ut qualitatem; aliquid ut ad ornamentum vel munimentum corporis pertinens, ut vestem; aliquid ut partem, ut pedem; dicitur aliquid aliud habere ut continens, sic domus habet i.e. continet homines; dicimur aliquid habere ut possessum, ut 'iste habet pecuniam'; dicitur etiam habere i.e. cohabitare, ut vir uxorem vel uxor habet virum i.e. cohabitatur.

Et concedimus quod hoc verbum 'habet' omnes habet \has/ significationes, et haec vera est 'iste habet cappam' i.e. possidet 'et non habet cappam' sc. ut partem.

Et hoc est: Habere autem multis modis dicitur i.e. hoc verbum 'habet' multas habet acceptiones; aut enim aliquis habet supple aliquid tamquam habitum et i.e. affectum, aut aliam quamlibet qualitatem. Et hoc ostendit: dicuntur enim habere disciplinam et virtutem, et ista sunt habitus; ita dicimur habere qualitatem, et hoc verbum ibi nota\t/ informationem; aut etiam dicitur aliquis habere aliquid ut quantitatem; istud autem non est nota diversae acceptionis, sed est nota alterius exempli de eadem acceptione. Et hoc est: ut qui habet magnitudinem, quando enim aliquid est magnum dicitur habere quantitatem, et ibi similiter hoc verbum notat informationem; dicuntur enim bicubitum vel alterius quantitatis; aut ea quae circa corpus sunt dicitur aliquis habere ut tunicam vel vestimentum, et haec est secunda acceptio huius verbi; aut in membro – aliud exemplum de eodem – ut anulum in digito – et hic similiter notat ornamentum – aut ut membrum dicitur aliquis habere aliquid ut partem, ut manum vel pedem; aut ut in

²⁶² hic] *lectio incerta* O.

vase, et tunc notat hoc verbum 'habere' continentiam, ut modius dicitur habere grana tritici et lagena vinum. Et bene dico quod notat continentiam in tali loco enim i.e. quia <15b24-25> nos dicimus haberi²⁶³ vinum in lagena et in modio grana tritici

<*** *RELIQUA DESUNT* ***>

²⁶³ dicimus haberi] di. habere O.